mbucus
imitacione
cerorus

1519

pe et misi [illegible]

a deus uniuersa no

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Fælix quem aliena pecula faciunt cautu

IOANNIS SAMBVCI TIRNAVIENS. DE IMITATIONE À CICERONE PETENDA, DIALOGI TRES:

EIVSDEM

Somnium Scipionis luculenta Paraphrasi, & Scholijs breuiter commodèque illustratum.

ANTVERPIAE,

Apud Antonium Tilenium Brechtanum.

Anno M. D. LXVIII.

Cum Gratia & Priuilegio.

ILLVSTRI ADOLESCENTI

Iacobo Fuggero Domino in Kirchperg, & Weissnhorn D. Antonij filio, Sambucus. S. D.

QVem de imitatione ad colles amœnos, & salubres istos Patauinos cum Georgio Bona, tempore alienissimo patriæ, summoque luctu meo adolescēte nuper extincto sermonem habueram: eum te requirente, per interualla hisce chartulis mandaui, atq. tripartitè retuli. Quo in tam controuersa eruditorum disputatione, dissidentibus iudicijs, in hac veteris eloquentiæ perturbatione etsi nihil ferè noui, quodque præ alijs cuiquam satisfecerit, dixisse me animaduertam: aliquid tamen dixi: nec mihi fętus meos ita displicere ipse sino, vt quid cogitarim, aut etiam conatus sim obscurare, probantibus aliter amicis, aut prorsus alios nescire aliquando velim. Ac tu quidem à præceptoribus longè his meliora, sine dubitatione audiuisti: veruntamen parere volui, atque efflagitata vulgò tuo etiam nomine legi. Vnde si ad exemplum tibi propositum, & styli vtilitatem aliquid decerpseris, multū me præstitisse opinabor, nec iudicia corrupta extimescam: sin in quo alios reprehendo, ipse offendi, quod humanum est, sed ignouisse longè humanissimum: dabo operam, vt posthac meliora efficiam, atque edam. Certè facili, & plana dictione, vt meam sententiam breuiter (nam multa possent addi, ac il-

lustrari) nunc explicarem, nihilque in hoc scriptionis genere affectatum ineptè relinquerem, adnisus sum. De ingenio autem Iacobe, moribus tuis elegantissimis, de Magnifici parentis erga me honorifica, & copiosa voluntate, omniq́ue omnino istius familiæ splendore, in qua tantopere laudes florent, tuq́ue eas cupidissimè persequeris, nihil repeto: quòd nec dignitas opusculi tãta præconia mereatur, nec ingenium illa meum capere, aut stylus informare posset, & in disiunctissimis quibusq́. terris eorum memoria disseminata omnibus ita viget, meo vt testimonio relictum nihil inueniam. Ceterùm exempla, & quemadmodum exercitatio singulorum capiunda sit, cum aliquo maiorum vigiliarum opere paulò post accipies. Vale, & Ioannem Tonner. I. V. consultissimum, & Michaëlem Gayzofflerum à me salutabis. Vndecimo Calenda. Nouembr. Patauij.

IOANNIS SAMBVCI PANNONII TIRNAVIENSIS, De Imitatione DIALOGI III.

DIALOGVS I.

GEORGIVS. SAMBVCVS.

QVoniam hisce mensibus præceptiones Rhetorum exposuisti, atque omnem vim oratoriam, eiusq́ ideam quibusdam exemplis nobis indicasti, vt cupiditatem illius, & amorem ingentem attuleris: nisi molestum est, ac tẽpus, quod tu minimè negligis, deest: aueo, dum laboribus consuetis vacationem, & cuiusdam cessationis interuentum concedis, etiam atque etiam intelligere, qua via illi summi Cicero, Demosthenes, & alij pauci eloquentiam vel à se inuentam extulerint, vel acceptam ita coluerint, vt non iam hominibus illi, sed Deo similes, non eloquentes, sed pro ipsamet eloquentia habeantur. SAMB. *Conuenienter tu quidem, ac temporè ista cognoscere studes. Nam & ingenium diligentiamq́ue in te adhuc singularem deprehẽdi, & rudimenta huiusce rei non omnino inepta, aut aliena vobis præteritis diebus, dum logicã cũ Ora*

torum exemplis coniunctè tractare, proposuisse mihi videor: sed amplius quiddā quàm vel tu iudicio quod sequi, & repræsentare in ista ætate, vel ego planè ac facilè, hoc duntaxat in loco, declarare possim, Georgi postulas. Audiuisti enim quàm res præclara, sed etiam vt ardua sit eloquentia, (non quidem illa Gorgiæ apud Platonē, aut Lysiæ, de qua Socrates in Phædo: qui antiqua noua vt sint, falsa vera dicendo se perfecturos profitebātur: sed qua simul bonus vir est atque rerum est regina) quàm graue istud nomen, quæ illa requirat, quàm pauci vel florente cum ipsa Repub. commendationem qui adepti sint, immo omnibus sæculis extiterint, quòd de singulis minutim præcipere doctrinam molestam longamque habet: deinde si processeris vt exemplis quoque declares, variè accipitur, quodque est præcipuum, quod ab antiquitate mutuamur, improbant multi. GEORG. Ego verò nōdum eorū quæ de libris ad Q. frat. Bruto, & similibus sæpe referebas, oblitus sum, & verò penitus memoriæ affixi: sed nisi ea etiam aliquo modo in lectione tantorum Oratorum agnoscam, quæ latent diligentia, & arte inuestigem, nec illorum modò felicitati gratuler, sed etiam simulacro & meis fructibus gaudeā: antè quid vtilitatis ex illa omni opera, quam audiendo nuper dedi, percipiam, non video.

SAMB.

SAMB. Equidem neque cum illis ipsis, quos tantopere ac nunc quoque suspicimus, nata est simul eloquentia, sed industria erudita, & laborum constantia paulatim conquisita fuit: nec, vt tu ais, fructuosè tempus, citra æmulantem agnitionem tibi constiterit. Sed ardua sunt quæ petis, & controuersæ doctissimorum opiniones, necdum hodieque constitutæ. De quibus ego iudicare nec possum, nec velim. Itaque hac me cura si liberas, & in aliud otium distuleris, donec qui ista profitetur, definiat, gratissimum mihi feceris. Quàm enim in omnes partes nihil à reprehensione vacuum, nihil in tanta iudiciorum obscuritate liberum flagites, tutè considera: & quòd mihi sepositum ab aliquot annis ad hæc studia recolenda, & augenda tempus fuisse meministi? Sed tuum est quoquo modo vim adferre, meum in tuis vsibus honestis, cùm difficilè sit, non resistere: si quid exciderit, non secus accipies, ac si de pugili aut militari disciplina dicerem, qui cùm in ea minus aliquid rectè factum reprehenderem, quamuis nec certarim, neque depugnarim ipse vnquā, nō inептum tamen alieni artificij æstimatorem longa inspectione atque obseruatione, vel etiam lectione iudices. GEORG. Nunquam in odium aut discrimen iudicium vocarim, & sæpe ex te familiarissimè audiui, de imitatione, & qui similitudine Ci-

 ceronis

ceronis, quàm aliorum præstare alijs volunt, infinitas voces, ac dissensiones excitasse, dum qui natura & arte non parum à Cicerone sunt consecuti, istud cognomen sibi vendicent: illi vana hos complecti, & seruilior aliena sectari inclament, hocque verbum iniquè in hominum genere poni. Verũtamen de tuo ingenio, ac non paucorum annorum collecta memoria, & obseruatione non diffido, quin, tanquam nobis solis canendo, quædã repetere, atque satisfacere possis, reprehẽsores negligas. Si enim stylus est optimus dicẽdi effector, ac magister, quẽadmodum eum celebremus, neque liberè, nec adeò seruiliter nisi cõmonstres, vt à Cicerone totus sim, meque & ipsum præstẽ: quid de præteritorum mensiũ opera, quid de ardore isto meo, & quodam ambitu futurum putas? SAMB. Nempe igitur quoniã ita vis ex amplissimo spatio velut in angustum coactus, in cuius ego progressibus maximè cupio, iã nunc parebo, ac quorum etiam ignarus, & insolens sum, exponam: sed ea lege, vt ista tibi dicta serues, neque cuncta firma, & secus quæ sese habere nequeant, pugnacissimè tueare: si quid melius alicui succurrerit, & ad vsum communem subtilius disseruerit, nosque moneat, sententiam mutemus: cuiusuis est enim errare, sed insipientis in errore perseuerare. Experiar igitur quid externa cogitatio suppeditet, verùm

ne infinitè sermo noster vagetur, sed clausa omnia, suum interrogatio, & respõsio domicilium habeãt, omne hoc negotiũ tribus dialogis cõprehendamus. ἔστι γὰρ οὐδὲν οὕτω οὐδ᾽ εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις. Quorum qui primus est, an imitatio vlla sit, & quæri debeat, num necessaria, vtilisque sit, disquirit: nec scrupulosè quæ secũdo ἀναλυτικῶν præstantiæ conditiones ponuntur, nũc exigam. Alter quid, & quot generum sit, cuique præcipuè labor dicandus sit, definiet. Postremus qua ratione, studium ne incõsideratum sit, æmulationis opera instituenda, & tẽperanda videatur, breuissimè (nam exempla quotidie annotamus) ostẽdit: quippe in tribus his differentijs consistit omnis imitatio: ἐν οἷς τε καὶ ἃ, καὶ ὥς, vt Philosophus in poëtica memoriæ tradidit, in quibus omnibus, si quid ambiguitatem habuerit, liberè interpellabis: ego mutuò quidquid in buccam venerit, dum meditatio accuratior, & ad bibliothecã receptus aliquid melius pepererit, eloquar, sed tamen receptis arti verbis, & cognitis in ista disputatione vtar: nec obscuritate, ac metaphoris inuoluam: qua in re Platonem, Aristoteles reprehendebat, idque cauendum in ὁρισμοῖς καὶ μεθόδοις. II. post iubet. Tres enim errores vulgò in tradendis artibus committuntur, si falsa doceantur, si dum ad viuum resecantur omnia, parum vsui cõ-

muni inseruiunt, si obscuri data opera simus. GEORG. Tuum est modum præscribere, plus enim ignoratione dubitare, quàm eruditione tu confirmare fortaßè poßis: nunc ita faciam, non timidè, si quid minùs, vel aliter accepero, sed fidentißimè inijciam. Estne igitur imitatio, cuius subsidio, & ductu non modò Ciceronem, sed omnino quasuis alias artes intellectas proximè repræsentare liceat? SAMB. Natura omnium parens, quæ cuncta molitur ac perficit, omnibus rebus congruenti, ac idonea varietate tributa ita lætatur, vt interim ipsa secum certare, ac perinde quasi maiori studio, & accuratione quædam procreare, expolire, alia velut effœta, & sui oblita negligentius procurare, deficiens, & superflua esse videri poßit, licet nec superflua, nec modica in rebus necessarijs offendatur. Patet hoc cum in alijs rebus, quæ terra nascuntur, & abdita eruuntur, adeoque animantibus à ratione destitutis: tum in ista laude expetitæ eloquentiæ ita ipsa est multa, ita variè discedens per ingenia sese dissеminat, vt quo vel præcipuo munere à ceteris nos viuis disiunxit, in eo differentiæ quot capita & sensus videntur, totidem appareant. Quæ varietas siue gradus, & si defectum, ac molestiam quandam præfert, ad studium tamen

tamen & præmia æternitate memoriæ, ac posteritatis iudicio excitata, non parum nos etiam inuitant. Etenim si omnia æquè in singulis perfecta essent, ac summa dicendi ornamenta, vel aliarum rerum: nullus gradus relinqueretur nostris studijs, & laboribus non pauca in hac lubrica naturæ conditione æqualitas ea incommoda apportaret: rectè igitur ille, si pulcra cuncti, scitaque eodem dicerent, contentiosa abesset altercatio. Natura igitur caussa est imitationis, quæ agit, ἕξις autem voluptatem, & facultatem comparat. Nam si cetera quæ manu fiunt, artifices arte, ac vestigijs aliorū effingunt, cur in alijs insitam cupiditatem æmulationis non etiam artificio regamus, in hac perturbatione diuinæ facultatis, iudiciorūque diuortio non sapienti, nec eo sano, quod volumus non ita persequamur, vt penè assequamur? Natura quoque sic omnes sumus, vt quæ aliena honorifica putamus, & excellenti elaborata iudicio, boni æquo animo probemus, eademque opera, & commendatione præstare, atque nos expoliri studemus. Siquidem animus perpetua obseruatione similitudinem elicit, ad quam se accōmodat, vt etiam si natura vix sit aptus, tamen vt rusticus ille qui propria deformitate territus, sibi venustißimis effictis, & mente informatis, liberos longè se pulcriores susce-

*ſcepit,ita proprietatem induſtria, & perpetua regu
la nobis aliorum comparamus* ἰσχυρὰ γὰρ ἡ μίμη-
σίς ἐστιν, ἣν ἄρχοντ' ἔχῃ, *quod ille de legibus pronũtia
bat,nec alienũ à noſtro argumento eſt,quod Cryto
bulus de Clinia ait in Sympoſio:* οὐκ οἶσθα, ὅτι οὕτω
σαφῶς ἔχω εἴδωλον αὐτοῦ ἐν τῇ ψυχῇ, ὡς εἰ πλαστικὸς
ζωγράφος ἦν οὐδὲν ἂν ἧττον ἐκ τοῦ εἰδώλου, ἢ πρὸς αὐτὸν
ὁρῶν ὅμοιον αὐτῷ ἀπειργασάμην. GEORG.
*Sed nunquid non præſtaret citra ſudorem,idem om
nes ſi amplexi æquè teneremus? Equidem per me
id naturæ liceret, eique gratiam haberem, ſi cuius
excellentia tantum commoueor, eiuſdem eloquen-
tiam,ſine tot incurrentibus tranſuersè incommo-
dis,poſsidere, paremque cum Cicerone locum obtine
rem : ſed vigilijs opus etiã ſordidis in operibus vi-
deo.* SAMB. *Næ tu quod optabile eſt loqueris,ſed
non meminiſti vniuerſum, & fatalem illum erro-
rem,hanc quoque partem felicitatis abſcondiſſe.
Nam eo modo, atque natura ab omnium optimo
Creatore Deo,ante culpam, qua adhuc illigamur,
iam ad arborem omni ſcientia fœcundiſsimam il-
lam contractam,præter iſtam lucem,ac ſpiritum or
nati fuimus, vt quos ad ſui admirationem,& an-
gelos aggregarat, omni penuria & diſcrimine ex-
cluſis, pariter muneribus, & ſcientiarum eadem,
vniuerſaque notitia ad ipſius gloriã abuteremur.*

*Vtinam quos primos eſſe voluit Deus,ijdem obſe-
quium primo ad ſalutem ſuam, deinde omnino no-
ſtram beatitatem præſtitiſſent, nec officio in mulie
rem Adam, & ſpecie cupiditatis multa cognoſcen
di,in hanc vitam cæcam, longè à priſtina diuer-
ſam,nos abieciſſet. Beato igitur ſtatu omnes,ſi pro-
fana ſacris miſcere licet,Ciceronis, & Demoſthenis
ſimiles floreremus,multis & partibus anteiremus,
eadem ſtudia,ijdem conatus vigerent, ad quæ om-
nes excellerent. Nunc tantùm abeſt vt vlla in re
abſolutum, & perfectum quid requiras,aut in re-
bus præclaris multitudinem exemplorum ſperes,
vt quorum notitiam ſummam prima luce extule-
ramus, non auditam, nõ perceptã,ſed natura hau-
ſtam,nobiſcum expreſſam,modò vix rudimẽta, &
veſtigia magnis ſudoribus aſpecta offendentes de-
prehẽdamus,eo res denique loco eſt. Sed tamẽ quid-
quid ab illa ſeparatione,quidquid igniculi in ani-
mis reliquum eſt, minimè neglig ẽdum,ſed induſtria
& ſtudio excitandum, inque pulcherrimarum re-
rum diſciplinam porigendum, vt ſimilitudine ali-
qua in magnis rebus hoc vitæ ſpatium occupemus,
atque in primis ad ſummi Dei,cuius beneficio, &
remiſſa vindicta hæc perexigua tuemur, memoriã
Chriſtianè conferamus, ſi etiam prima in hac ſpiri
tus ægro ductu,ac vita non impetremus,* ποιότης

γὰρ νῦν ἐπιστήμη ἐν ἡμῖν, οὐχ ὡς ἐν θεῷ οὐσία,
ideoque varia κατὰ τοὺς ἐργολήπτας fit. GEORG.
*Nisi fallor dicis, longissimè nos ab integritate il-
la, atque claritate reiectos, & quam ego veram, &
solidam in rebus existimo gloriam, eam tu etiam
nullam, si ad primordia referas, vel certè minimam
futuram: illis tamen ad opinionem perfectis, labo-
res, & stylum imbuendum, imitationem retinen-
dam, qua sublata, quid melius, quid deterius sit,
exploratum nunquam fore?* SAMB. *Profecto,
aliâs perpetuò offendemus, vt sunt corrupta iudi-
cia: ac tametsi lucem, vt dixi, cæcitate commutaue
rimus, nihilominus quidquid est, siue recordatio, si-
ue informis aptitudo virtutum in nobis, & scien-
tiarum: certùm in hac pulcerrima cognitione, in
qua delectatio omnes sensus mirandum in modum
copulat, ad quæuis facilè vocat, fingit, refingit, ar-
tem esse non vulgarem, gradus quosdam circun-
stantijs, vt in moribus, quorum indices sunt, ad di-
gnitatẽ constitutos: hinc existit amor ille, vt qui-
bus præstantis vis ingenij, pertinacia, & disciplina
bilis ratio non deest, laude dicẽdi existant. Etenim
eloquentiæ forma aspecta, similitudine quadam na
turæ ita quidem subitò accenduntur, ex consuetu-
dine tantus efflorescit amor, vt omnem cogitatio-
nem, studiũ, operam in ea cõsequenda statuãt, imi-
tatio-*

*tatioque in naturam coëat. Cuius ideæ in aliqui-
bus exempla, aut, quod perrarum est, ab vno simul
comprehensa & arte iuncta, qui tanquam Sol reli-
qua lumina superet, ceteris viam monstret, pona-
mus necesse est: quia effigiem eius non cogitatione
tantùm exercemus, sed auribus quærimus, nec mo-
dò de perfecto Oratore, sed quorum memoriam acce-
pimus, & quos vidimus, notique sunt sermo nunc
erit.* GEORG. *Ars igitur quædam sit affinis, cu
iusque naturæ ad hanc rem excellentis, præter vo-
luntatem, atque operam, vt quod in parte vitij po-
nitur, declinet, ad signum propositum contendat,
quando ita nunc comparatum est?* SAMB. *Nisi
ipse tecum aberro, si vnquam, nunc me herculè, in
vitiosa & praua Latini sermonis vsurpatione,
multis alijs impedimentis obiectis, inest ars. Dum
enim quidam nimio sui amore, vel potius ingenij
frustratione, vernaculã ita complectũtur, vt extin-
ctam hanc matrẽ, vnde pleræque fluxerunt, velint,
adeoque rebus eam, & dignitate, quam tot sæculis
obtinuit, exutã, vestigia scientiarum, & furta sua
ne ab imperitis agnoscantur, iacere cupiant, dandæ
opera vt eam defendamus. Sed ingratos illi, & in-
iustos se produnt, ac enitetur semper Romana, exi-
stetque elegantia, dum, quas secum attulit, opes in
vsu hominum versabantur, nec animus excelsus,
nisi*

nisi ortum videat, satis acquiescet. Artem itaque omnino, si mauis obseruationem, vt in alijs non temerè factis rebus, sic eloquentia, præsertim illa Romana credendum est. Si enim communes istas præceptiones, è Rhetorum spatijs ad scholas deductas admittimus, quibus ducibus, & comitibus in admirationem Demosthenis, Ciceronisque impellimur: cur, quæ illis magna ex parte decãtatis & publicè tritis adhærent, imitandi artẽ excluserimus? Vt enim in ædificio magnificè fabricato, aut signo ab egregia natura & arte manante, si quispiã singulas partes monitus agnoscat, aptitudinẽ videat, artem adhibitam, cuius adminiculo simile quiddam fieri possit, non negabit: ita dum peruagatam Rhetorum doctrinam ediscimus, in exemplis multa notamus: quid ni aliquod amplius subesse præter illa angustiora, vt patentia concedamus? GEORG. Cur si quid certi habes, atque exemplo aliorum teneris, non artem potius, quàm obseruationem vocas? Semper ego exemplorum numerum, & constantem obseruationem artem putaui. SAMB. Ratio eorũ est, quæ sunt semper aut plurimũ, & ad vsum quidem obseruatio, & experientia nihil ab arte differunt, atque illa huius procreatrix est: sed tamen imitationem, vt rem nondum ita omnibus regulis conclusam, & certam, obseruationem dixi. Tu siue

artem,

artem, siue experientiam nomines, modo ad stylum tuum commodè seuoces, parum laboro: & Aristoteles in quibus μίμησις, ϗ ὁμοιότης est, cum Platone τέχνην vocauit. Poëtica nomine ars est? quæ tota in imitatione, atque aliorũ exemplis versatur? Historia quoque imitandis, & exemplorũ describendis rationibus opus habet: & ab illa differt solũ, quia hæc εἰδοποιητά, altera γενικώτερα tractat. Atqui vtraque pars est Rhetorices, & nihil omnino absque melioris exempli ratione factum, si laudabile sit, vspiam repereris: ratio enim ipsa est imitatio vel naturæ, vol aliorum in vita exemplorum. Demonstrari potest Ciceronem ab hac secum contendisse, & cum alijs: imitatos esse doctissimos nostra memoria, & clarissimos uiros, quorum vestigia nos, vt Mineruæ Perseus ad Hyperboreos profectus, seruemus: nisi enim imitatione claruissent veteres, ac perfectum in quoque genere cupijssent exprimere, quin eorum scripta inter se, & cum ætatibus consentirent: vt aliquo insigni auctore inspecto, facilè quando floruerit dijudices? Et si quis seipse tãtùm geniumq. sequeretur proprium, quãdo aliquid perfectum appareret? GEORG. Hîc ego animo diligenter attendam, & quis tuus sit sensus, quæ animaduersio, cùm præsertim nostro eã sæculo ita inuestigandum reris, quia plena sit cõtrouersiæ, mul-

 torumque

torumque sententijs variè disceptatam, quæso apo rias. Multi enim non solùm non necessariũ nostra ætate veterum illum splẽdorẽ, cultumq. dictionis, sed omnino inanem, & modò non impium, nostra dignitate inferiorem arbitrantur: alios mores, & vitam alia verba deposcere, postremò faciundi potestatem sublatã, seruilemq. operam factam. SAMB. Dicunt quidem illi non omnino nihil, & inuitus in hanc dissensionem adducor, nec dissimulare possum, ad persuadendum quædam aduersarios argutè, ac populariter comparasse. Verumtamẽ quid ego censeam, qui ad alios nihil sum, nec video, & quod ad hos amœnos colles, ad elegãtissimi Petrarchæ Musæum inciderit, audi: argumenta enim quæ ab alijs satis copiosè infirmantur, nunc prætereo. Concedo ego forum, curiam, rostra, & id genus reliqua cum excidio, & salute Romanorum esse sublata, nõ inficior eam consuetudinem causarũ, vsitatam minus, deesse oratores quos audiamus, aut qui nostra iudicent: id tamen veteres cupidè ne legamus, spemque consequendi abijciamus, nõ efficit. Defuerunt olim Romæ Demosthenis vis præsens, tonitru Periclis, lenitas & suauitas Isocratis, id Ciceronem tamen postea, Antonium, & alios non deterruit, ab imitãdi studio & quadã ambitione, voluntateq. necessaria & honesta. Quinetiam vbi maximè floruit, inque

inque pretio habita, ortaque est eloquentia, nõ prohibuit Areopagitarum seueritas, quominus singulis virtutibus, in arcem eius quidam euaserint, Romani pleraq. ab illis sumserint, laudẽq. tribuerint. Nunc materia quî defuerit, in hoc omnium scientiarum statu, & amœnitate summa: in hac orbis Christiani præsertim Germanici Imperij vasta amplitudine, ac mole, quæ sese vix sustinet, cuiusq. amore non secus, ac Romani olim metu, disiunctissimæ quæq. terræ, ac nationes se adiungunt? Quid Veneta Repub. clarius? quid diuturnius, & in omni varietate casuum admirabilius? quid plerisq. alijs? Certè si Atheniensium, si Lacedæmoniorum comunitas, & maiestas oratores edidit, ex qua se expolirent, auctoritatemq. constituerent, materiam suppeditarunt: quid ni hodiè multis partibus ingenia commodius alantur, & ad pristinam frugem amissa dicendi ratio vocetur? ac multarum rerum causa dolendum puto, vsum perorandi obmutuisse, atq. sublatum: tamẽ nos dicendi studium, atq. ipsa exercitationis voluptas, non solùm fructus ille, atq. forensis gloria incendere debet: quod prudentiæ simul non verbis modò ea opera detur. Nec ad lucrũ omnia referamus, moreq. Tygranis in olympijs oleaginæ coronæ. i. virtutis causa certantes stupidi miremur, & Mardonio irascamur, vt Herodo: com-

memorat. GEORG. *At vix ad quasuis res, præsertim recens inuentas, Latinus sermo verba sufficerit, minus Cicero, nisi molestè res verborum causa dißimulare, aut obscurè tractare velis, quod minimè ferendum est, & posterior vocum ratio ducenda, res inopia verborum haud cogendæ, neq. reticendæ videtur, cur enim infinitum rerum numerum propter aliquem contrahamus, inq. angustum adducamus? Ex quibus sequitur nũ aliorum perpetuò inuentis, minus vocabulis acquiescẽdum, longè minimè vni Ciceroni: qui, vt omnes confitentur, pauca suis in libris notauit, plurima omisit. Idem ego contendo, eam Latinitatem nobis, cùm vernacula excellamus, haud ita necessariã, ac vt illi, quos paulò ante nominasti, Græci, & Latini, eò celebres sunt, quia vsitatã suis linguã locupletarũt, explosaque aliena, nitidiorem effecerunt: ita quisque nostrum patriam tueri, nec iudicio quodam priscæ seruitutis, neglecta propria, nos deberemus externæ adiungere, quod Pyndarus quoque sentit*, φῦλον ματαιότατον νοσᾶς ἀνθρώπων ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια, παπταίνει τὰ πόρσω, μεταμώνια θηρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν.
SAMB. *Nolo ita nunc neque suscipere vt defendã, neque vt reijciam. latum nimis campum, neque hoc decursu peruadendum ingrederer: quæ autem Cicero præstare poßit, deinceps audies. Tantum respondeo*

deo, non cuncta, quæ non necessaria sunt, illicò esse inutilia, aut imprudenter vituperanda, nec in opiniones quorumuis, & opiniones descendendum. Et si enim eæ asseclæ sint intellectus, & animæ, tamen vt verè in Phæd. dicitur, eius iudicium, & opus impediunt, ac morantur, vt pæne pro ijsdem habeantur, non tamen idem sunt. Vsum in vita si spectemus, dum imperia diuinitus miscentur, augentur, transferuntur, quæuis lingua nobis vt domestica, vtilis fuerit. nec Latinã vel Germanicæ, vel Gallicæ antepos uerim: sed aliud est quo tendit cõsilium nostrum, præter necessarium hunc, & quotidianum linguarum fructum. Multa in vita minus quàm peregrinæ, & aliunde excitæ linguæ sunt necessaria: quæ tamen amamus, & honorifica existimamus. Verùm alia est causa, quarè tantopere Latinam illam puram, castam, affluentem, Romanam, hoc est, in domicilio & comitatu orbis, ob tot negotiorum tractationes imperij extremam potestatem atque concursum auctam, politamque expetimus, & religiosa iura quodammodo tribuimus. Et quidem ea ipsa qua sua ætate Cicero, & alij nunquam satis laudati, Græciam frequentandam, audiendamque censuere. Quidquid enim sapientiæ, quidquid eloquentiæ illi habuerunt, nos retinemus, id à Græcis manauit, Latini vberiora melioraque se Græci

cerunt, imò tota ferè Græcia Latina facta est, &
infinitæ voces permixtæ: fortasse quia Italiã Græ
ci primi incoluere, si Halicarnasseo credimus, &
quo vincebãtur Romani, id est. τῇ παιδείᾳ, καὶ λόγῳ
vt de Cicero, Plutarchus interpretatur, non cede
bãt, ne quidem in historia scribẽda, vt est primo de
Legibus, & prima Tusculana: Quod etiã de lau-
dato satis Cicerone Brutus intelligit. Hinc si in
aliquo mẽs & intelligẽtia nostra hæret, non tã re-
rũ obscuritate, quàm ignoratione linguarũ, & ele-
gãtia posthabita cõtingit: quod Cicero de suo Cato
ne approbat, qui eruditius eũ, quã cõsueuerat, quod
Græcarũ literarũ esset perstudiosus, disputantẽ fa-
cit, & Minor vel in Curia dũ Senatus cogeretur,
Græcos libros lectitauit. Itaque nisi in caligine re-
rũ, & ignominiosa barbarie ingenia latere nostra
Cato. velimus, ex imitatione Latinam eloquentiã neces
sariã cùm ad percipiẽdas, tùm etiã tradendas res,
immo etiam vernaculã ex ornanãdam cogitare po
tes: atque in ea quo quis maiores progressus fecerit,
hunc laude magis cumulandum, ac studio in exem-
plum accersendũ. GEORG. Quasi nostris eruditio-
nem detrahas, peregrinum nõ parentum sermonem
amplectaris, & seruitutem perpetua aliena præ-
ferendi imponas, ita disseris, qui fidem & mores
Græcis nunquam tribuam, literas tribuo, sermonis
le-

leporem, ingenium, copiam. Nunquid non reperias
hodieque priscis illis nihilo inferiores, qui & illo-
rum sensus probè teneant, & noua addiderint,
sermone proprio, natiuo, significante, ornato,
absque aucupio imitationis eleganti? SAMB.
Immo verò laudẽ nostrorum agnosco, felicitati plu
rimum gratulor, quædam inuẽta fateor, sed quàm
Latinè loquantur, quàm varia & copiosa cuius-
que regionis lingua sit, quot partibus illa veteri
Græca, & Latina posterior sit hodierna, quis pau
lò curiosior non videt? quis Ciceronem quàm Ala
num, Liuium quàm Germanicè scripta chronica,
Vergilium quàm Bapt. Mantuanũ, vt olim negle
cto. L. Andronico, & annalibus Põtificũ, nõ malit?
Et videmus qui aliquid sapiunt, nec rudes & ex-
pertes cõsuetudinis omniũ gentium sunt: vnde res
prodierũt, quas interpretãdas suscepimus, eorumdẽ
nos verbis libẽtius profiteri, & authores suis præ-
mijs fraudare, nisi malitiosè, nunquã solere. Quod
si obijcias necessitati quædam minuta quæ inse-
ctamur posse concedi, sed infinita esse ad oblectatio-
nem captata, in quibus inanem operam sumamus,
cuius generis Cicero sit, verbis & ostentatione inge
nij sæpè non ferendus, minùs stylo exprimendus.
Ego verò si quæ sunt in moribus vitia, & næui
nõ probo, nec assumam: in oratione quia nihil casu,

 nihil

nihil extra artem positum est obseruatione, ac dili
gentia cur non diuinam facultatem affecter? Cum-
que, vt exposui, multa nos in vita oblectent, nec
Oratio. pauca aliena ab vsu probamus, laudeq. ac præmijs
quasi necessaria constituimus, in oratione, qui ani-
mi, & sensuum interpres est, cur non varietatē, &
amplitudinem, si possumus, eandem quæramus. Si
corporis quæ non durant, voluptates ita nos titil-
lant, afficiunt, impellunt, mutant, vt ministros nos
eis præbeamus, & ad iniuriā valetudinis eius ad-
iutores simus: ecquid sermo qui mutuus, & perpe-
tuus est, iudexque morum, non item suauitatē, vo
luptates omnis generis conciliet, ac mereatur? qui
enim sensus intelligenter depromit, atque iocundè
etiam necessariis verbis ornare potest, eum certè ho
minem dicimus, non quam digito figuram ostendi-
mus: quod Socrates significabat, dum vt videret
adolescentem, vti loqueretur, monuit. Orationis
igitur exempla, & modi à principe Tullio, quia in
uenti aucti, & commaditate Reipub. perfecti nobis
sunt relicti: nunquam à mēte satis eos constare, qui
Latinā Ciceronis linguā præ alijs cōtemnunt, aio.
GEOR. Vera sunt quæ narras: perge verò, nec to-
ties interrumpam sermonē, minus tecum luctabor.
SAMB. Vis vno verbo vt necessaria sit hæc obser
uatio, ac vtilitatem secum quantam afferat absol
uam

uam, vt omne dubiū animo tuo eximam? Quæri-
mus scriptis nostris memoriā, Latinissimi, hoc est,
Ciceroniani haberi volumus, nomen quidem nuper Ciceroniani.
de contentione factum, sed religio ista & quædam
familia noua non est: & tamen si veterum purga-
tas aures iudices adhiberemus, longè id cognomen
difficilius reperiremus, nec vbi quis epistolium cō-
portauit, asseclam se tanti principis & alumnū ia-
ctaret. GEORG. Vt istud concedam, aliter expli-
ces oportet. Nam esse imitationem ægrè mihi per-
suadebis, si qui id moliantur, vt indole ac rudimē-
to aliorū sua imbuant, occultaris. SAMB. Id ipsum
verò docet, eam vtilem, & non à quouis deprehen-
di: curam & opera minimè vulgarē exigere, itaque
pulcram & iucundā esse, quia nō quiuis dociles ad
hanc disciplinam sint: sed exemplo mox qui eam tol
lunt, aut modicum artificium nugantur, quanto in
errore versentur patefaciam. Quotus quisque est, lo
quor de minus disertis ac ineruditis, qui cùm decē-
nium in Cicerone, Terentio, Cæsareq. posuerit, qui
confirmet se, quæ mutua sumsit, loquitur, & scri-
bit, tamen more modoque antesignani sui tolerabili
ter id facere, vt aptitudo rerum, verborum, senten
tiarum, numerorum par aut similis, connexioque
illius sint? Vt quia rem commodatam in vsus mu
tuos malè locant, culpaque deteriorem faciūt, præ-

 stare

ſtare omnia iurè teneantur. In vernacula quidem, & alijs pæne nobiſcū natis vſu linguis ſolœciſmos, κακοζηλίαν, & id genus cōſecutionum, & συνθήκην facilius animaduertimus, nec tanta ars in illis omnium partium excogitata, & diſciplina exculta eſt, at in Latina laudata iudicem ſi Ciceronem, vel coæuos haberemus, licet eorum verba vſurpentur, tamen vix, & ne vix quidem, intelligeremur: tantum abeſt, vt certare cum illis noſtra, & regulis tot carere poſſe mentiamur. Præceptiones Grammaticorum abijciendas minimè cenſeo, nec tamen opinari debemus, idem eſſe Latinū, & elegans, quod emendatum, quod tantùm Grammaticum: idcirco ei adhærendum eſt ita, ne quæuis ad regulas eius penitus deflectamus, in alios canones, & exercitationem quoque dandam operam arbitremur: vix enim duo verba reperias, quorum eadem vbique poteſtas, eadem collocādi ſit ratio in omnibus. Plurima ſunt, quorum flexionem per nomen, aut verbum Grammaticus admittit, vſus Oratorum reſpuit, & maxima pars cognitionis antiquitatum, quorum notitia interpres vt conſuetudinum, ita ſermonis eſt, nos latet, ac ſi quam minùs notam, vocem, aut ſententiam hodie eruimus, tanquam de ſecturis aureis reconditū proferimus. Itaq. obſeruatio nō leuis, & quidē neceſſaria eſt, volenti commen-

Obſeruatio

men-

mendationem & admirationē futurorū inuenire. GEORG. *Noua Sambuce & inaudita mihi hæc ſunt, adeò deſtitui, & inopes nos eſſe, vel potius incertos, & quæ ſcribamus, tot annis loquamur ad ſenſum Romanorū integrū, & certū tenuia, & inſuauia, atq. etiā peregrina & ſoluta, nō ex eorū officina prodijſſe videretur. Equidem modò Latina, non Pannonica eſſe quæ ſcriptito, videā, rem explicem, vtcūque coniungā anguſtè, diſſolutè, incōditè, extra ordinem ac numerū, Latinum me puto: nec parum, ſi quædam inſeram Tullij, me profeciſſe cogito: idemque meos æquales arctè tenere, aliosque mihi perſuaſi, & Socrates alicubi te referente, in eo, quod quiſque ſcit, eſſe quemque eloquentem ſatis memoriæ prodidit.* SAMB. *Erras: namque niſi accuratè non ſententiæ ſolùm, ſed ordinis, elocutionisque vim intelligas, exercitatione cōfirmes, vt confecta omnia in ſtomacho tuo, & aſsimilata partibus, appoſitaque percipias, difficilè imitatio conueniet, atque tota ſcriptio, & cōſilium à duce non minutū, aptāque ſine fructu errabit, nec ſimilitudine Ciceronis lucē, & gratiā ſtylus ſibi colliget vnquā cautè, & præclarè nihil conabere. Sermo enim, ſi neſcis, de eloquente nobis eſt nō eo, quem Cicero ad Herennium muto opponit, qui ſenſum oratione quomodocunque depromit, aut diligēter Latinè loquitur,*

Socrates

Eloquēs

nec

nec eloqui posse ita nūc accipimus, vt in III. Offic. de dolo malo & lege Aquilia: sed qui Latinißimè loquitur, & ornatißimè scribit. Nam & in Phædroeidem Socratis dicitur eloquens, non qui necessaria solùm dicit, sed qui singula verba cōmodè collocat, & eleganter. Ac rudibus aliquot exemplis, quam cæcutiamus absque μιμήσει, & condita præceptionibus exercitatione ostendam. (Exēpla.) Germanicū est, nec ineptum. Ist mein frondtlich anlangen, wollet der alte kundtschofft nicht vergessen, vnd mir in der sachen zugefallē sein. Hæc tā Germanus, quā qui cū illis vixit, intelliget: si tamē Italo aut Hungaro minus perito verba totidem hæc iūgenda, & ptonuntianda tradas, Germanus acutùs vitia ilicò deprehendet, nec ita facilè sententiam percipiet, vt si dicat quod sæpe fit: Ist an langen mein frondtlich, wollet nicht der alte vergessen kundtschofft zuggefallen vnd mir werden in der sachen. Risu hæc verus Germanus exciperet, singula agnosceret, connexa molestè audiret. Cùm tamen qui apud Germanos totam ferè ætatem consumserunt peregrini, & si quæ alij loquuntur, vel scribūt non nesciāt, ipsi ita plerumque sua cogunt & instruunt. Proferam exemplum Italicum, apud quos & ipsos externi & hospites nisi ex sese apti quodammodo, & in obseruatione toti sint, & naturā linguamq. sub-

subactam mutarint, dissolutè, confusè, vt gratiam trāspositione vimq. omnē amittunt verba, ad nihilumq. recidant, infractus, & amputatus sit quasi ambitus, haud parū sæpè vitiositas cōmittitur. Ho risposto alle partite, però che non mi fido della vostra venuta qui. Hæc si ita loces: Alle partite ho rispoto della venuta qui vostra, non mi però che fido. Exclamaret cultior Italus, & δίσκριτα, λόξατε ἅπαντα diceret, tantùm inter benè structam collocationem, compositumque oratorem verborū permutatio dißimilitudinis affert. Atque huiusmodi exempla de collocatione obscura, traiectaque, & ignoratione συνθήκης accipi volo: quod maximè ciuem à peregrino separat, quid si etiam verborum vim & naturam, differentiasque nesciat? prorsus ignarum & lōginquißimum dicimus. Iam si istud in ijs, quæ tot annis longa perpetuaque terūtur consuetudine vsu veniunt: quid nobis remotis, proculque diuisis, & ignotis Romæ inque ista obscuritate, (Difficultas.) & causarum desuetudine, vbi omninò literæ Forenses & Senatoriæ iacent, atque contemtione Latinæ veræ, & cultæ linguæ polliceri, quid cogitare possumus? quoties labimur inepti, & inconditi sumus, qui ex libris omnia petimus, vitiosè loquēdo plurima deprauamus, iam nūc etiam, si Dijs placet, artem negligimus, qui Turcicis gentibus cingimur,

gimur, & Barbarorum fluctibus alluimur? Quæro abs te quod horum concinnius, quod melius poſitum, ſcriptumque eſt, qui aliquid ſapere iam cœpiſti. Quæſo, cras ad me pranſum venias: cras ad me vt prandeas venies: ad me veniens, quæſo, prandebis cras, pranſum ad, quæſo, me cras venito. Nunquid ſi Cicero, qui Tironem, & ſeipſe, qui Antonij connexionẽ reprehendit, aut Cæſar te audiret, nõ in cachinnũ erumperet, & vltra corruptã pronũtiationẽ, omnia turbata nõ aſſequerentur? Et tamen nos ſine diſcrimine his vteremur, vt Latina probaremus, quòd nõ ita facilè cacophoniã, ſolœca, & barbariſmos in aliorũ lingua ſubodoramur, neq. acutè

Numrei abſq. aſsidua notatione, quid deceat perueſtigemus. Prætereo ſilẽtio numeros, qui etiã plebi curæ erat, alioqui Athenis in Democratia, quid Demoſtheni, & ceteris opus fuiſſet ſolicitudine, & arte numerorũ? quid Ciceroni in populari cum optimatũ mixto genere imperij Romæ? quid etiam præcepiſſe tot libris iuuiſſet, niſi populus harmonia capi aures, numeroſeque verba in animos influere voluiſſet ſuos? cur memoriæ ſuas orationes mandaſſent, qui ex tempore, & ſubitò valebant, niſi compoſitionis gratia id ſuſcepiſſent. Adeò, Georgi, neceſſaria cuiuſque linguæ proprietas eſt, & modi loquendi penitus cognoſcendi, ne malè quiduis ad noſtram, vt fit,

conſuetudinem deflectamus. Sed tamen in hac parte obiter admoneo, in quauis lingua etiam externos, qui aliqua obſeruatione ad eius ſcientiam contendunt, quæ rectè aut minùs iungantur, etiamſi vſum loquendi perpetuum non adhibeant, compoſitione periodorum, eiuſque partiũ coitione, probitatem deprehẽdi ſermonis. Namque cum periodũ, membro ſolo vel duobus, tribúſue, aut quatuor conſtãtẽ, quæ poteſtate plurium, vel pauciorũ, ſuis rationibus eſſe poſſit, reperias, ſi in orbe partes bonæ ſunt, ſeparatis quoq. vti poteris. Sed aduerte μετάθεσιν eſſe frequentẽ προτάσεως, καὶ ἀποδόσεως, atque productis ſpiritibus, & εἰρομένεις λέξεσι traijci clauſulas ſolere, quæ fini ad ſenſum apta eſt vniuerſum, ſed ſingulis accõmodari fortaſſe nõ ita poſſit, interdum antè, vel poſt periodum, atq. etiã in medio mẽbrũ omnino alienũ ponitur, ac velut redundat: quæ expẽdẽda ſunt. Interdũ ad omnẽ trãſpoſitionẽ partium, eadẽ ſententia retinetur, ipſaq. mẽbra ſoluta in quadrũ, & ambitũ, nõ ſecus, ac cæli conuerſio, in qua ortũ minimè oſtẽdas, ſpontè redeunt. Romæ igitur quãdo Græcæ Linguæ ſtudium floruit, ac, vt nobis hodiè Latina, ita Græca illis cognoſcẽdo atq. ſcribẽdo potius, quàm loquẽdo terebatur, hæc via iudiciumq. compoſitionis explorandæ neceſſariũ fuit. Ita video poſteriores in Demoſthene ſolicitos fuiſſe

Nota

qui orationem περὶ ςεφαύ8 distinguere κατὰ κῶλα voluerunt, idque Demosthenem spectasse, vt Euripidis versus, & Sophoclis numeros singulis mẽbris repræsentaret, vt Euchares Rhetor asserit, atque Castor Rhodius quodam libello de numeris Oratorum declarat. Sed alterius hæc loci sunt. Idem statuendum de quibusdam Græculis, quod supra declarabam, existimo (de exercitatis & elegãtioribus, quorum mediocrem numerum hodiè conquiras dicta hæc nolo) qui vt Grammaticam inspexerunt, verba vtcunque intelligunt, ac iungi audiuerunt, statim in orationes, & poëmata prorumpunt. Quos Demosthenes aut Homerus Persas, Phryges, Scythas, non Græcos declararent, vixque sua scripta rectè inspexisse illos docerent, non secus quàm Vngarum ne Germanus, aut certè Valacum Italus, Sclauonem Bohemus, Vmbrum Romanus, Lombardum Senensis, aut Florentinus, quippe coniunctio ipsa verborum recta cuiusque linguæ, ἰδιώμα, καὶ λογοφδέαν, καὶ τὸ ὁμοιοσχημονεῖν ostendit, nec minùs ea ciuem à peregrino, quàm propinquum ab alieno sanguinis necessitudo discernit. Quòd si nimiũ hoc tibi, & intemperantius alijs videbitur, is, quæso, in cogitationem clarissimorum, & à nostra vita recentem memoriam Græcorum veniat, quibus è libris sua lingua repetenda quoque fuit, Musurum dico, Scipio-

Compositio.

Scipionem Cartheromacũ, Lascarium, Demetrium Ducam, Chrysolorã: ita qui sua cõscripsere, vt vix Demosthenẽ, vel Platonẽ in manibus habuisse nõnihil harũ rerũ peritus dixerit: credo arte non ingenio destitutos. De Plethone Bessarione, Gaza, aliter sentio, qui amplius viderũt, & Latina nõ parũ hic, & Marullus præstitere. Videmus idẽ Hispanis accidere, qui fabulas quas mirabiliter, & iocũdè suo idiomate describũt, vt Itali nullo modo eã gratiam cõuersione assequãtur: si tamẽ Orlandũ, & similes illi tractẽt, longè à pristina sua copia, & suauitate cadãt. Quid iam de ijs, qui Terentiũ, Plautum, & similes ad solutã orationẽ faciundã in scholis proponunt, dicẽdum? qui nõ ita verba sua extra fabulas ordinabãt, multa numeris cõcedebant: nos verò integros versus, & sententias eodẽ modo, quo de Cicerone, vsurpamus, & celebramus stylo. Obsequium amicos, veritas odiũ parit, dicimus. Quid si ille, vti credibile est, aliter idẽ in foro, aliter apud amicos familiariter protulisset sic: amicos parit obsequium, odiũ, veritas, aut aliud verbũ adiũxisset, aut quiddã immutasset: licet is fabularum numerus à cõsuetudine nõ multum discedat quis in loquẽdo, aut scribendo familiariter Virgilij versus integros susciperet? quis in versibus etiam aliena lingua quod tamen esset minùs, nõ transpositione vteretur? Ario-

stus ex Homero, & Virgilio principij mẽbra aliter collocat, aliter Virgilius Homeri verba. Et ostẽde multas, qui particularũ vsum in Cicerone, potestatẽ, collocationẽ norint. Neq. enim, at, ac, atque, aut siue, vel, nec, neque, equidẽ, ego quidẽ, loco & modo idem sunt, & in congerie idem ferè significantium quis ad linguam rectè singula distinguit? vt illud III. Off. Certè nõ aperti, nõ simplicis, nõ ingenui, nõ iusti, nõ viri boni: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri, & cet. Si obijcis multa Ciceronẽ Terẽtij, quædã Plauti, atq. adeò Ennij quoq. habere: quî id fecerit, vt dißimularit, aut exposuerit, posterius dicetur. Idẽ iudiciũ sit de quibusdã nostris Poëtis, qui numerũ versuũ & multitudinẽ, nõ vetustatẽ & elegantiã antiquitatis assequuntur. Quòd si ad rẽ seriò, & industriè incumberẽt, loca mutua, imitationisq. iudicia conferrent, cõsilium, & artẽ exquirerent, longißimè se ab illorũ gloria, & maiestate discessisse, & se laudare tantũ eos, nõ æmulari posse, quod Cice. alicubi de Maßiliensiũ cõsilijs, & institutis affirmat, confiterentur: faciliùs tamẽ ad suos se, quàm alios ad Cice. qui vnicus ex omnibus est peruenire poße, viderẽt. Hæc pluribus & liberiùs exposui, non in quẽquam ordinẽ cõtumeliosè, aut superbè, sed quã sit artificij cuiusdã, & singularis obseruationis plena imitatio, Cicero

mecum

mecum disceres, iudiciũ acueres, nec temerè quosuis Oratores, aut Poëtas nominares, atq. Ciceronẽ tam operosum & perinde fructuosum ne relinqueres. GEORG. Audiui tamẽ rerũ potiorẽ curã, quã verborũ esse debere, itaq. mentẽ exercebo, si stylũ nõ attingã. SAMB. Respõdeo quod Cicero ait, eloqui copiosè modò prudenter melius esse, quàm vel acutißimè sine eloquentia cogitare, quòd cogitatio in se ipsa vertitur, eloquẽtia verò complectitur eos, quibus cum communitate iungimur, ideò seriò in hanc facultatẽ incumbendum, & quosdã plus audaciæ, quàm exemplo eum in suis scriptis proferre nõ dubitãdum. GEOR. Hîc quod respondeam non occurrit, & nunc aperire oculos, lucemque aspicere mihi videor: cui ista in mentem non venissent. Profectò in magna obscuritate nos versari, nec omnia esse laudabilia quæ fiũt, confitendũ est. Sed quid agã, quæ via insistẽda, quando pauci admodum qui Ciceronianè scribunt, reperiantur. SAMB. Et nisi illi, qui apti magnã ætatis suæ partẽ iudicio, & experiẽtia in eo trãsmiserũt, mansum eũ, diuisum, inq. succũ cõuerterunt. Horum enim iudicium tã promptum, aures tam argutæ sunt, vt si duo tantũ verba aliter, ac Cicero, copularunt, statim agnoscant. Multũ est ita assuefieri, & sese obstrinxisse, vt in minimis religionẽ inuiolatè serues, sed verum est. Lopui.

 Audiui

Audiui ego de maximo, & eloquentissimo viro cùm de Repub. Ciceronis libros penes se habere quidam affirmarent, duabus, aut tribus ad summum lineis auditis, vel visis, an Ciceronis essent, dijudicaturum se. Seruius Pætus vt est IX. Epistol. ad Pætum, adeò tritas habebat aures, notandis Poëtarum generibus, & legendi consuetudine, vt facilè diceret hic versus Plauti non est, hic est: atque Cæsar ex ἀποφθεγμάτων libro, quæ à Cicerone proficiscerentur orationes acriter iudicabat. De Michaële Sophiano, se Isocratea ex vnica periodo facilè collecturum: nec secus Virgilius de Homero, de Pindaro, & Bachilide Horatius, Sanazarius de Marone, Lampridius nuper de Pindaro, & Horatio existimarunt, tãtum potest ars, & industria, sed etiã à se natura propensa, & intestina quædam conspiratio, quam συμπάθειαν vocant, non parum efficit. GEORG. Ergo & ingenij, nõ modò rerum similitudo, & ars studium nostrum adiuuant, & separata hæc non tantùm possunt? SAMB. Non me hercule, itaque hæc distinguo, vt de C. Licinio facit noster Cicero, quem à magistris parũ institutum naturam admirabilẽ ad dicendum dicit habuisse, & Scauro ac Rutilio non omninò ingeniũ, sed oratorium ingenium defuisse ait. GEORG. Sequitur qui diu, multumque in Cicerone, aut Virgilio elabo- Nota.

borarunt, & nihil ferè cum mora, præter eos attigerunt, si omninò omni cognatione, & naturæ cõsensione diuersi sint, nõ tamen vt illos scripturos, & plerunque in ἱππολυφίαν Luciani delabi, quod quàm sit ingratum omnes sentiunt. Si enim Aristo. in decimo de moribus verum est, quiduis ἐυτοχεῖν, & laudari à propria functione, ac opere, id Orator profectò dum commodus & aptus est, consequitur. SAMB. Rectè arbitraris, odiosa sunt exempla, nec vllius offensa, aut gratia teneri volo: sed tamẽ aliquot eruditè, & optimè qui iudicant, sua nõ ita cõparare, vt sentiunt, possunt, siue quòd non ita sunt facti, siue quòd nõ consueuerunt, siue quia nequeũt, aut fortè negligunt. Idcirco aiebam non exercitatione, ac labore tantùm, sed Genij cuiusdam magisterio, ac instinctu, qui alicuius similes esse studentꝭ valdè opus habere, quoniam ἡ ἐπιτηδεία ψυχὴ πρὸ γνῶσιν πλεόν ἐπιτυγχάνει τῦ ἀληθῦς, ἢ ὁ ἄκρως ἀσκήτας τὴν ἐπιστήμην. vt nomine Ptolomei sententia extat. Ac soleo Ciceronem Soli cõparare, qui vnus est, eius verò monumenta, vt agentem intellectum Aristo. eius radijs γιάθεσιν verò intellectui, vt vocant recipienti seu possibili. Nam vt lumen Solis dum aliquid in luce, vt conspiciatur, ponit, non est efficiens rei visæ, sed quod antea erat, & latebat, vt in aperto esset, interuẽtu suo facit, & prout

in locum vel amplum, vel angustum incidit, obscuritatem pellit: ita Tullij scripta quæ imitatione cognoscere, adeoque exemplis approbare cupimus, nisi facultatẽ quandam ingeneratam, & tabellam politam reperiunt, gloriam ob stylum exiguam capiemus. Adiuuare enim præparatio illa naturæ ad imitationẽ nos debet, quæ bona spe in posterũ præluceat. Et si hanc propensionem non omninò ἕξιν, vt Plato, connatam intelligi volo, sed ratione, & labore maximo illustrari, atque instrui. Atque hoc est quod Philosophus in. II. Physico. & alibi ait, aptitudinẽ subiecti, ab omni actione requiri, & magis vel minus quale ob impedimentum aliquod obsistẽs fieri. GEORG. Sine causa igitur multò maxima pars nititur ad eloquentiã, cum inepta, & dissimillima ingenia cõcurrunt: de quibus me quoq. facilè assentior, & si per ingenium possem, non vnius ætatis labor eò contendentibus sufficeret. SAMB. Quid ita? Nónne gradus esse in cunctis rebus, tam vitijs quàm virtutibus audiuisti? non prorsus desperandum nobis de natura & propensione fuerit, modò ars cum vigilijs tam graui nomine digna sit, ac respondeat. Quisque cogitare debet dum teneat viam, & impiger ad labores sit, qui aliquid præclarum lucubraturus sit, de illorum se numero esse, nec arduum putandum, in quo totus sis, cui te pror-

Arist.

prorsus astrinxeris, & facinoris illustre exemplum adsit: quamuis enim viam ambiguam, & infestam duce optimo, comite rege, securus ingredi potes, ac expeditè conficere, natura verò separata imitationi vniuersæ non officit: sed pariet tantùm diuersum, in aliqua parte vt acutior, aut grauior, aut subtilior alio sis: hæc ad naturam, non imitationem tantùm pertinent. Ita Demosthenes & Cicero principes Oratores fuere, & optimi, tamẽ in motu, & vehementia non pares. GEORG. At verò illud ipsum hæsitationem auget, ac difficultatem, quia sequi me alterius vestigia, naturamque, & optimi quidem velis, quem præterire nemo possit, nec spes vlla victoriæ ostẽditur. SAMB. Quasi verò non illis nostra salus committenda sit, qui primum locum in medendo tuentur: in viam nos cum illis non dare, qui errantes reducere, periclitantes iniuria liberare possint, maximè debeamus, & meliores posthabeamus: νήπιον ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει. Denique nostri virtutum primos accessus negotium præbere, vbi non nihil euasisti, omnem difficultatem superatam. Quocirca in animum sic inducas tuum, ad eloquentiam natum, factumque esse te, præter industriam, & operam nil desiderari, dies noctesque in hanc solicitudinẽ abeas, cogitationes,

Difficil.

 &

& exercitationes in eo euigilent, vt in Cicerone aliquid notare, styloque experiri semper velis. Quæ cura si exitu frustrata fuerit, illud tamen assequemur, vt mediocriter scribamus, atque ijs comparemur, qui cùm diu in Sole versati sunt, & colorati, etiamsi tecto recipiantur, quandam adustionis præ se ferunt notam. Curaudum enim est, vt optimè dicamus, dicẽdum tamen cuique pro facultate. Quid? nónne serimus in occulto, & derelicto interdum Solo, quod ita diligenter coli potest, vt impendijs corrigamus naturam, & largiorẽ efficiamus, vberesq. satis afferat fructus? GEORG. Perculsum, & iacentem excitasti, inque meliorẽ ducis cogitationem. In optimis enim quemcunq. adipisci gradum optabile est, & in virtute ponitur: faciam igitur, quod mones, à natura commoditatem ad Ciceronem tributam diligentiæ meæ pollicebor, hunc tota mente atque animo solùm intuebor, de contentione nihil remittam, ex te rationem, & viam imitatricem libenter cognoscam, viamque eam rectissimam eloquentiæ maioribus tritam, nobisque omnibus præscriptam ducam, si factis quod statui, signum minùs consequar, voluntate tamen prope accedam, nec vllius me tædij pœnitebit, nec indignatione ad profectum, sed studio est opus, itaq. melius quàm possum non dicam, ne mihi quod cuidam à Floro, respõdeatur,

tur, vt refert Quinct. SAMB. Si capis, ita facies, laborumque tuorum hæc pactio extet, quos prauitas mentis infecta bonis tenet, eos rideas. Vnum tibi, gloriosumque dicẽdi genus parias, ne quod olim quoque accidebat, quia in deligendo quem probarent, atque sequerentur, multi non habebant, singulæ ætates singula propè genera dicendi extulerunt, incertus vageris. Atque ego imitatio quid sit aliquando exponam, quodque licebit, animo tuo concipiendam præbebo: vt eam tanquam nautæ Cynosuram, sic ducem obserues: nec ante quàm tua oratio succo, & colore Ciceronis infecta & spectabilis sit, ab eo ad alios declines: hanc tu cõditionem cum imitatione depaciscare. Ac sunt quidẽ variæ multorũ definitiones, proque suo quisq. instituto, & quem intuentur, scopo eam describunt: sed nos Herẽnianam recitemus, & interpretemur. Nam credibile est, qui solus optimè dixit, & acerrimè iudicare potuit, cum definitione cogitationem rectius suam complexum, vt quid secutus ipse sit, alios item moliri quid velit, ac suscipere, non obscurè patefecerit.

GEORG.

Recita.

DIALOGVS II.

QVID SIT IMITATIO, ET à quo præcipuè petenda.

SAMBVCVS, GEORGIVS.

Deffinicio Imitacionis

IMitatio est qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum in dicēdo similes velimus esse. GEORG. Cupio singula abs te enarrari, multiplex enim, & subobscura est, nisique aperias adhuc mihi latebit. SAM. Verba sunt, quibus in hac re idē significari volumus: imitari, æmulari, exprimere, effingere, simulare, assectari, vestigia alicuius persequi, spectare exemplū aliquod, ad aliquē se exercere, ex aliquo aliquid exprimere, non esse aliquid planè nostrū, sibi aliquē ante deligere. Qui id faciūt imitatores, æmulos, asseclas, exēplum alicuius dicimus, & similitudinē, simulacrū, & si quæ sunt huius generis: licet per se differāt hæc & proprium locū interim exposcāt. Græci μίμηλικὴν, ζῆλον, μίμησιν vocāt, licet μίμησις exēpla sint, ζῆλος ipsum sese accommodādi studiū. In fine operis ipsa cōparatio venit συζήτησις cū συγκρίσει, quod verò inductio animi spectat, exēplar, ἰδέαν nomināt, & παρέχειν μίμησιν, in Poëti. Aristo. appellat, quē effingimus, & πρόσινα ἔχειν τὸν ζῆλον, cōtendere cū aliquo. Vlpianus dixit: deniq. ὁμοιό-

ὁμοιότης consequitur, vel vt Xenoph. loquitur, εἴδωλον ὁμοίον, ἀπεικασμὸς, μίμημα δὲ ἀπεργασίας, quod exēplo à nobis effectū est. Quid autē ὁμοιότης a ratione, & ἀναλογία differat Geometris id relinquamus definiendū. Artē igitur Cicero, vel quisquis auctor est, huiusmodi similitudinē artificiosā, & diligentē in dicēdo esse vult, quibus verbis voluntatem naturalē cum artificio, studiosamque esse iuuit, nec vnius tantū exemplaris sed plurium: de quo tamen mox disseremus. Nemo Georgi, quod nō ratione & cupiditate, diligentiaq. instituitur, vnquam possidebit. Nā sponte, hoc est, naturæ inductione, sedulitate artificiosa, explicataque methodo, quod quisque appetit: honoratū quærat necesse est, nec, qui aduersa natura, et ingenio, disciplina turbata ad rē appetitā fuerit, coactusque omnia remissè procurarit, aliquid obtimebit, hacq. ratiōe quæ casu fiūt, nec stabilia & perfecta sūnt, à firmis eodēq. sese mō habētibus disiūgūtur, atq. etiā initio de parti. animal. Philosophus inter peritū, ac eruditum ponit, certo vsu differentiā vt alibi inter sapientē & prudētē aliâs quod Annoni cuidā suis modulatricibus auiculis contigit, vt dimissæ nō eius nomē, sed suo more canerēt, vt Aelianus refert, nobis eueniet. Proinde impellimur ad aliquid commoti, à natura nostra vel rei conditione quoniā fine cōmouemur: isq. nos postea magis vrget: verùm

Obserua

verùm nisi motum arte contẽperemus, eaque temperatio non neglecta, sed industria, & laboriosa sit: voluntas & amor non omnia poterunt. Coniunxit igitur hæc M. Tullius. Vt enim statuas qui fingit, aut mores alterius histrio repræsentat, singula ita consectatur, exprimit, vt alterum exemplũ sit: ita qui eloquentis nomẽ ambit, quis quantusque is sit, quem ad laudem operamque notauit, in quibus excellat, quæ conatibus exposita suis, quæ ad imitationem denegentur, omninò præcipiat, oportet: tùm quid ille spectarit, vt progressus sit, animaduertat: postremò, labore ita nobis constemus, & voluntate, vt eo duce nihil prius, nil carius neque loquendo, neque scribendo, nihil frequentius habeamus. Quæ cupiditas vbi nos inuasit, ratio instruxit, diligentia retinet, voluntas animat: edemus aliquãdo quod animo concepimus, menteque informauimus, exemplis secuti, atque moderati sumus. GEORG. Hæc magna ex parte quæ de vtilitate, desiderio, voluptate, imitationis supra commemorasti, audiui, sed quæro ego, quæ voluptas in fictis capi posſit, cùm veritas imitationem vincat, ac de te intellexerim Platonem imitatores, & alios, nõ ita bene accipere. Etenim qui perpetuò imitatorem se fore nouit, ecquid illud non potius deijcit voluntatem, studiumque nostrum imminuit? Atqui voluntas appli-

Plato

plicari, diligentiaque, & labor ijs debet impendi, quæ exitum operæ pollicentur, nec continuas molestias ostendunt, vnde Horatius seruum pecus eos appellauit. Sed etiam pœnas ad inferos Poëtæ, vt Tantali, Promethei, Ixionis, & alia infinitate, & in orbem reditu acerbiora, horrendaque finxerunt, vt simile quiddam imitationi voluisse notare, & ad sanitatem reuocare labores videantur. SAMB. Nihil est molestiùs, quàm quod ita contentè molimur, vt nihil præterea desideremus, fructu tamen ac euentu optato frustremur. Patet hoc in communibus actionibus, patet in abiectis quoque rebus, præterquam in noxijs naturæ, in quibus finis non ponitur: neminem quidquam suscipere nisi præmio, & extremo aliquo proposito, vt quantum ad vincẽdum operæ, studijque exigatur, præcipiat, & quæ finem merces acceptura sit, prospiciat. Veruntamen eorum tu immemor, quæ dicta iam sunt, istud obijcis, tibique ipse animum demis. Quippe non omnia possumus omnes, nec in potestate nostra quæ vnica, & singularia sunt, aut voluntate relinquuntur: sed tamen in excellentibus aliquo prodijsse tenus, gloriosum etiã est, ac nos cõfirmare ea, quæ pariter alijs negata sunt, deberent, quòd nec in Theatro æquè omnia spectemus, & quosdã diuersa delectet: nam & Turpionem Ambiuium, magis qui in prima

Exēpla. prima causa spectabant, delectasse puto: delectabantur tamen etiā qui in vltima sunt exēpla, quæ imitatione digna putamus insignia, præclara, nō ita facilia, neq. vnius horæ: & nisi huiusmodi essent, vt difficultate sua nō quorūuis conatus reciperent, alij alijs plus proficeret, cur in eis operā, tēpusq́. cōsumeremus, quid iucūditatis haberet? Quippe verba non secus cū rebus et vulgò nascūtur, atq. cū leone iubæ, cum herbis colores, quas tamen si in corollas inserere vis, iudicio vt gratiā distincta habeant, nō modico est opus: ita verba sunt facilia, sed cōpositio, & collocatio solius Oratoris, ideoq́. ceteræ duæ partes Rhetoricæ, cū Philosophis, & prudētibus cōmunes sunt, elocutio artē exposcit & vsum lōgū, nā ferè difficilè nō est inuenire quid sit causæ adiumento, difficillimū aūt est inuētū expolire. Talia sunt omnia ferè, Cicero. si in vllo alio, profectò in Cice.e quo idē quod Iustinianus alicubi περὶ βασιλείας ait, pronūtiaris, è cælo Dei munere cōcessum ex omnibus vnū, & præcipuū, cuius admiratione, & imperio linguā nos & calamū, & omnē vitā cōmoderemur, et laudemus potius quàm vt facilè assecuturos speremus. Non aliter Plato, & Aristoteles Philosophis dati vidētur, in quorū lectione, & admiratione vel sine victoria cō quiescunt: & tamen ingeniū ipsa cognitione periclitantur, idq́. modo & spatio certo, nec inferorū more,

sine

sine vlla intermissione quod sufficit assequuntur: & quò quis acutior, ac subtilior euasit, maximus ætatis suæ Philosophus, maximus Platonicus, vel Aristoteleus vocatur: quod nomen plenū est iocōditatis, & fructus, plenū victoriæ. Et si idē præstaremus, quod nostri auctores, & antesignani, tamen alius labor alium exciperet, aliam curā & solicitudinem amplior inuestigatio pareret: quæ priorem laudem, opinione aliorum facilè obscuraret. Terminatū igitur, & moderatum in hoc quoque concursu imitatorum definimus laborem, finitam pro cuiusq́ue natura, vitæq́ue conditione industriam nec pœnis, sed præmijs alligamus, non vt superent, sed assequantur, aut aliquantum inferiores cōsistant præscribimus, & si fortè inuētione, vi argumētorū facilitate nō cederemus: tamē quæ arte tradūtur, atq. assumi imitādo queūt, in ijs nō cōtendendū cū Cicerone puto, minimè vt maiora faciamus, spero tāti M. Tullium æstimo, quamuis κόρακες ὡς ἄκραντα γαρεύτον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. GEORG. Cur inquit quorum similes esse velimus? videtur enim similes nos aliorum, & cōpotes fieri posse non negare. SAMB. Nec ego negarim, sed difficillimum id in Cicerone fuerit: loquitur enim de suo consilio, qui dum alijs deditus fuit, in dissimilitudine exemplorum sperare similitudinem à tanto suo ingenio potuit, Similit.

nos

nos verò eius opere conflato & absolutißimo in hoc tempore, & auditorum inopia, iudiciorumque discessu, via non satis explicata, & testata, victoriam, vt prætereamus spondere nequimus, & in aliquo gradu cum Philosophis, & alijs considebimus, honorificáque Ciceroniani satis appellationem ducemus. Similitudo enim ficta est, non ipsa veritas: nec par, aut idem, quod finitimum est, dicimus, ideo addit, quorum esse velimus. Voluntatem & molitionem arti iunctam exigit, atque in summis rebus, aliquem locum tenere laudabile putat. Atque demus pares nos factos, quòd si non vltra progrediare, nec amplius quid, & præstantius deinde excogites, addas, animo vix satisfeceris, quòd si quid maius ingrediare, & conere, periculosè id fiet, atque antegressos labores facilè nouitas euertet, ac temeritas vituperarit. Fit enim in huiusmodi contentione, quod in decursionibus contingere solet, vt si quis optimum & celerrimum equum, velocitate non assequatur modò, sed præire cupiat, præceps corruat, & quàm proximè insequendo abstulisset, anteuertendo laudem amittat omnem. Quare ingenij & rationis nostræ laborumque conscij, itemque amplitudinis, & diuinitatis Ciceronis non ignari, mediocrem dignitatem, ac nomen quisque pro viribus sibi constituere proponat, nec quia difficilè, aut omni-

omnino nunquam assequetur, minus anteibit, idcirco contracto, & remisso sit animo: æquales si superarit per id magnum, & amplum credat, atque hæc tantùm de Cicerone cauto, eumque scopum longum ideo statuo, vt ad ardua te applices, quod enim in magnis paruum est, id in paruis amplum habetur. GEORG. Nullane pars definitionis restat? SAMB. Et quidem deliberationem quæ maximam iudiciumque postulat. GEORG. Quid istud est? SAMB. Quorũ similes esse velimus. Videtur enim immo contentus non fuisse, à quo eloquentiã hauserit, & arguere nostros qui solùm ipsum sufficere imitationi contendunt. GEORG. Quid refert plures, modò bonos, an vnum solum, ac optimum tibi cõstituas? Mea opinio fert cum ijs qui multos adeundos, atque consulendos putant sentiẽdum: quòd in vno procliues, dum variè concurritur, lapsus & molestiæ poßint exhiberi: & dum nimia est religio, & amor vnius, sæpe næui & vitia pro virtutibus assumuntur, ita amore Socratis Plato, Ita C. Blo- Vitia.
sius Grachi amicus errabant: vitia autem in quocunque sint, & quoquo modo vsurpentur pro virtutibus haberi nõ debent, nec peccati excusatio est. SAMB. Si constaret plures esse optimos, me ad eam opinionem facilè conferrem: at illud ipsum est, quod controuersè quæritur. Si enim vnus omnium opti-

mus est, cur non ei malis, quàm pluribus etiã bonis studere? ne opera varietate distracta laboret, ac relanguescat. Nihil scripserit de architectura Cicero, nihil de colendis agris, nihil de medendis equis, & instruenda acie, tamen qui de his memoriæ mandarunt, non sequitur optimè eos Latinè, vti res cõprehenderant, scripsisse, & complurimos habuisse æquales, qui si ea aut intellexissent, aut scribere voluissent, melius Vitruuio, Columella, Modesto, & alijs præstituris fuisse. Cur ergo necessariò eorundem per omnia verba ob rerum præstantiam sequare? Qui infantem historiam Vngarorum vel Germanorũ scripsisserunt, cur nõ rebus verba meliora, si repetẽda essent, adhibeas, ex Liuio, Cæsare, Sallustio: num aliu d Bẽbus in Veneta sua historia propositum habuit? Põtanus vt reprehensiones effugeret, maluit consuetudine in patrijs narrandis vti. Quamobrem si docuero vnũ, & solùm Ciceronem Latinæ linguæ principem, vel potius æquè omnium linguarum summũ, & cumulatissimum esse Oratorẽ, quo natura præclarius omnibus partibus nihil hominum generi ostenderit, qui ad solidã eloquentiæ laudem omnia contulerit, alijsque præluxerit, sufficere cuiuis solus possit, reliquos longo interuallo reliquerit: quid prohibebit quominus vmbrã eius, quàm ineptum corpus aliorum amplectaris?

GEORG. Non possum in dubiũ vocare, & tot sæculorum cõsensus probauit Ciceronem omnia dicendi ornamenta, omnes laudes cõtinere, primũ & postremum Romani imperij exẽplar illustre cũ nemine comparandũ extitisse, Cæsarẽ eius lectione expolitum, titulũ esse Romani imperij, protulisse ipsum fines Romanos quàm longissimè, nec id mihi pluribus ostendi nunc volo: verùm vnus tantùm in cuius imitationis normã societatemque nemo sese offerat, an etiam alij boni ad excolendum stylũ adsciscendi sint illud velim demonstres: quod abs te non contenderem, nisi occasionem illis verbis dubitandi ipse præbuisses. SAMB. Rem tu propemodum impossibilem, & à varijs sententijs nõ liberam petis: & vellem ad manus qui aliquid de hac parte literis, ac memoriæ prodiderunt, haberẽ: non enim relaxationis animi, & deambulationis istud opus est: veruntamen mos tibi geretur qui non ex næuo, & crepũdijs, sed me dijudicare totũ vis, & afferã quædam etiam minus cognita: si quid commisero aut minus satisfecero, ad bibliothecam illam festiuã corrigetur, obscuriora explanabuntur, cõtrouersa ita cõciliabo, vt mecum alijs nõ pugnare, sed quædam cõdiscere voluisse liquidò credas. Cogimur enim dissensione sapientũ, dominum quasi nostrũ ignorare: quippe qui nesciamus Soli, an Ætheri seruiendum Cicero.

sit,quod ille in II. Acade:de Deo dicit. GEORG.
Importunum me vehemens, & incredibile deside-
rium facit:itaque dabis veniam licentiæ,tuaque hu
manitate,quam nunquam deseris, nunc saltem le-
nies. SAMB. Esto, repetã tibi summam eorum,quæ
in oratione istius ipsius argumenti aliquando In-
golstadij habita in memoriam venient. Cùm ante
Elegans. annos plus minus. LX. Paulus Cortesius, postea
Petrus Bembus honoris pontificij decus, & Vene-
tum gloria,meliori suo, & propitio genio,barbarie
inculcatam Romanã eloquentiã,videret, simulque
pulcerrimarum rerũ cognitionẽ interpretũ infelici
tate pæne abiectã doleret: excitatus hic, credo Gua
rini (qui primus libris ad Q. fratrẽ Constãtinopoli
recuperatis, opinionem suis prælectionibus in Ita-
liam inuexit elegantiæ) & aliorum, qui politius
scribebant,exemplo genus dicendi cultum,& orna-
tum est complexus, atque auctor quibusdam fuit,
vellent Ciceronem in manibus habere, eiusque ra-
tionem quãtum possent omnino, formamque æmu-
lari, futurum vt propediẽ inepti & obscuri illi do-
ctores laterent, atque humanæ diuinæque literæ è
tenebris pulsa barbarie, prorumperent, lucemque
studijs accenderent. Idque vt alijs persuaderet, Sa-
doleto, Longolio, Amaseo, maioremque solicitudi-
nem, & curã huius conatus importaret: scriptita-

re, opuscula quædam purius cepit, atque adeò epi-
stolas nomine Leonis X. ita aggressus est, vt postha
bita consuetudine à barbaris constituta: quidã eius
consilium probarint, & exemplum sequuti magna
spe laudis fuerint. Qui vir quantum, monendo, vr
gendo, lucubrando in hanc rem cõtulerit, hodie ma-
ximè apparet, dum insulsos, & fœdos scriptores qui
liberali sunt ingenio, ac voluntate honesta, vt pe-
stem oderunt, in oratione laudem elegãtiæ primam
cõcedunt. Veruntamen vt in alijs rebus, quæ diu-
turno vsu, sed prauo vitiata sunt, non æquè facilè
pristinum decus, & opinionem apud omnes recipiũt
suam: ita quoque iam tum magnopere quidam in-
stitutum Bembi reprehendebant: sed aptitudine ad
rem tam præclaram naturæ, quàm voluntate po-
tius destituti, inuidiæ morbo, quàm veritate indu-
cti. Longolius Belga eo nomine ac vestigijs ita su-
bitò emersit, vt in omnium sermonem, atque admi- Longolius.
rationem euenerit, nõ legibus Romanus factus, sed
natura ea ciuitate ornatus visus sit, ac vetus hoc
vrbis ornamentũ in potestatem Germanorum vnà
cum imperio discessisse significaret. Cumque tantam
celebritatem occupasse, & antiquitatis nomen in se
transtulisse videretur (licet nõ sit huius loci quam
id iure sibi vindicarit, examinare) exorti sunt, qui
publicè vanum, & sine causa ingressum id studium,

immo puerile, atque insolenter profiteretur, verborum consectatione mentem rudium perstringi: qui eius seruitutis essent, rerum scientiã neglıgere tantumque ira commota obiurgatio quibusdam placuit, vt qui castius aliquantũ scribebãt, ignari philosophiæ, grauiorumque cogitationũ expertes, non secus ac olim sophistæ ὅτι τὰ μὲν ῥήματα αὐτοὺς ἐζήλη-

Imitatio. ται, γνώμαι δὲ ὀρθῶς ἔχουσαι ἅσ ἂν παιδεύοιντ᾽ οἱ νεώτεροι ἐπ᾽ ἀρετὴν οὐδαμοῦ, haberetur: cùm Philosophum valdè, ac studiosum sit rectè imitari, nec aliter doctor, & auctor noster M. Tullius sensit, licet alios esse intelligendi magistros, alios dicendi, vt speciem illam & quasi figuram perfectã mẽte quæ informari, cerni animo, figura vix auribus percipi quæsita possit, ad Brutum dixerit. Atq. illi quos paulò antè recitaui, quoniam initio ita accuratè, itaque religiosè sua ad Ciceronem componebant, vt quidã nullum extra ducẽ verbum assumtum probarẽt, natata est dissensio, non quidẽ subtilis, & ad discutiendum

Quis imitan. inuoluta, sed multorum annorum cõuitijs iactata, vnúsne Cicero, an plures stylo vsurpãdi sint, quorũ natura, ac rudimẽtis nostra cõparentur, hincq. adeò manauit omnis hæc, quæ te ipsum quoq. ambiguum exercet, dubitatio: in qua plus odij quidã, & maleuolentiæ, dũ calumnijs omnia replẽt, quàm ingenij sui prodiderũt, ac, vt Luciani asinus inter noxiam

rhododaphnẽ, & quibus ad humanitatẽ possint redire, ipsas rosas discrimẽ haud deprehẽdũt. GEOR. Quibusnã argumentis qui solùm M. Tulliũ, aut alterum ad summum effingendum arbitrati sunt, quibus illi, qui assumendos sine delectu quosuis, & exprimendos censent, vtantur, quæso, ne graueris percurrere. SAMB. De tenuibus, & impuris, nisi abiectum, & sordidũ, nihil emanat, atque stylus educationi quodãmodo cõparatur. Quibus enim parentibus, atque disciplina sunt liberi profecti, eadẽ exẽpla vitamque tuentur: eadẽ ratio scriptionis & insignia quæ Magistri, qui dictauit, nosq. erudiuit, deformata produnt. Si insignem, prudentem laude dignum, qui te genuit, habeas, dissimilitudo in vita, & moribus, quàm corporis facie, minor apparebit. Atque laudo magnanimitatem Lacedæmoniorum, qui, vt meminit Plutarchus περὶ ἀγωγῆς παιδιῶν Regem suum Archidamum pecunia multarunt, quod adiuncta sibi nuptijs tenui, & modico habitu, breuique statura, fœmina, spem non βασιλέων, sed βασιλίδων præbuisse. Magnos ego, fortes, & robustos, omni præconio maiores imitandos, & loco parentum habendos censeo, sanos, consideratos, definitos, quibus fidas, & moderatè acquiescas, qualis est quem proposui. Qui principem igitur Ciceronem, & modò non solùm proponunt,

illud excellentiæ tanti ingenij tribuunt, vt cuius scripta omnes partes elegantiæ simul & philosophiæ necessariæ comprehenderint, præferendus iurè omnibus videatur. Itaque si quispiam eorum, quæ apud ipsum extant aut cognatione propinqua scribere latius, aut compreßius tractare velit: alio minimè diuertendum, sed quoquo modo assequi poßis, eiusdem, vel certè quæ affinis sunt generis, verbis & tractatione, præsertim quæ ad forum spectant, exponenda. Denique vbi non contracta est voluntas, sed disiecta, nihil cum voluptate, ac fructu existit, sed animo defatigato varietate, molestiam vel in carißimis rebus creat, quodq́. in Polyphilia acci dit, idem de πολυμιμήσει cum Plutarcho argumentere. Hi verò omnes peruolutandos ad stylum putant, & supellectilem verborum vndecunque comportandam, res vti tulerit, interpretandam: rebus, nō verbis aut vlli artificio captato inseruiendum, facilè ad res inuentas verba sequi solere, Ciceronis ipsius ætate nullos in hanc contentionem, vt ipsi studerent, abijsse: similitudinem vt in sensu rerum, ita verborum nihil obfuisse, quemq́ue non mutabilem, vt naturæ, ita orationis suæ ideam, & proprietatem anticipasse: ab ortu nos ad varietatem quæ delectet, & industriam acuit, non idem factos, propriam naturam difficilè fingi, decipere, vt Horat. ait,

Polymimesis.

ait, exemplar vitijs imitabile, satius aliorum ingeniorum esse rectorem, quàm ministrum. rerum igitur nequaquam iudices, vt nec res vnius circumfluentis, & abundantis ingenio sanis terminandas, & pleraque alia, qui à Cicerone discedunt afferre possunt. GEORG. Quid tibi videtur? me ferè cōsitentem habent, vbi enim constat de rebus, dißidium verborum haud magni fecerim, & Galenus alibi ex Platone citat, nos ditiores rerum cognitione absque verborum solicitudine futuros. SAMB. Si vocabula rerum sunt notæ, ad cognitionem rerum explicatio verborum adiungenda est: quæ quò politior, & elegantior est, hoc magis grata, & ad intelligēdum accommodatior existit. Quod si quædam res à Cicerone prætermissæ sunt, nō tanta religio vocum sapienti, vt rerum incumbet: vt sine reprehensione, quædam rebus à Tullio vix adumbratis, ex aliorum affinium amplitudine, translatione, circuitione, contrarijs, similibus applicari possint, ac æquè liberè, vt qui recens nomina rebus imposuere Latina, antea non tractatis, aut nuper à minus pollitis attributis, sed aptè, in quo verbo vniuersa est imitatio. Quantum historicis narrationibus Cicero præstiterit, facilè de amicorum causis, commemorationibus legum, ac vetustatis appareret: si rustica tractasset, ecquis ea felicius, & cum

Res.

Verba.

Aptum

prædicatione maiore potuisset, si vel eiusce rei quædam indicia, vt de semine sparso, de vitis natura, & alia existimet? atq. vt rectissimè de Latinæ lin-
Latini. guæ facultate in. III. de Oratore iā tum iudicabat Crassus, si eruditi existerēt, anteponēdos fore Græcis, & res illorum ad vsum, moremque Romanum transferri posse: ita quis hodie argumenta Græcorū, & aliorū à Tullio minus traditorū, & perpolitorū, si iudiciū, & similitudo imitandi accedat, desperet, ad veterē illā excellentēque prudētiā Ciceronis, & stylū, vsumq. nostrū deriuari, & suffigurari posse? idque est quod in Tuscu. significat, se Philosophos Barbaros nunquā attigisse, licet infiniti scripserint. Credis tu hodie nihil tā horridū, nihil Barbarum, & insuaue reperiri, quin Cicero ea audierit, legerit? & tamen res acceptas planè, intelligenterq. exposuit, vocabula neglexit, si propria defuere nondum ita recepta, modo aliquo, vt figuratione, trāslatione, circuitione, epithesi, & argumētorum quoque sedibus aptius extulit? Cur non tā solummodò, quàm solùm impeccabilis, quàm à labe vacuus, inhibere, quàm reprimere, pijssimus quàm maximè pius, prosa, quàm soluta oratio, duramentū, quàm diuturnitatē, captiuitatē, quàm custodiam, & alia sexcenta non potuisset, nisi meliora aliqua ratione suppetiuissent, qui Poëtarum etiam, qui talibus referti

ferti sunt, cōsuetudine mire sit delectatus? GEOR. Si quid de re metallica, de plantis, animalibus, & re rustica, quædam de historijs occurrant describenda, cur quæ ad manus sunt vsitata, & consensu eruditorum frequentata, non suggerente Tullio, respuamus? neque enim potest fieri, vt cuncta vnus dicat, nec in vnius ingenium minùs linguam coire vniuersa queunt, & vt Græci ineptum sua lingua ignorabāt, nónne in multis idem Latinitati accidit? ac D. Hieronymus in vestibulo Eusebij nónne illud flumē scabris & obicibus retardari dū aliena transfert, iudicat? iccirco de Finibus mihi sententia probatur, philosophiam non requirere ornatam, sed doctam laudari. SAMB. Est ita, neque mens vnius, neque anima hominis capere singula potest, vniuersæ informare potest: ea re si nihil eorum, quæ Plinius, Vegetius, Cato, Dioscorides, Cicero apertè tractauit, inueniri tamen ratio, meliora efficiendi possit, ne omninò quædam ab auribus, & puriori sæculo aliena sint, ab eius æterna illa gloria lumen aliquod accipiant, & copia ad quæuis redundet, cùm ex primo de finibus cōstet, atque Bruto, eum multorum nominum fuisse inuentorem. In philosophia quæ vtilitatē habent, ac finem certum, nihil pæne neglexit. Nec enim Cicero est qualē liberum Deum

Deum aiunt: qui cùm per Indiam iter faceret, siti coactus Iouem de aqua precatus est. Cicero noster qui abundantissimus est, sibi ipse aut alijs suis nunquā deest, multò minùs pro optimis quasi vino ad aquam aridus recurrit, supplexque fit, si copiam, & modum vtendi condiscas. Ac etsi copiosissimus est, tamen breuis, & expeditus non minus sæpè quàm Cæsar, & Salustius. (Vide epistolam ad Plancum. Summa tua &cet. quam mirabilis est, ἀποσημαντικὸς, quam proprius, & alibi cum opus est?) Meministi locū. II. de Orato. qui generatim, & difficillima cognouit nō esse de singulis doctrinā, & exempla expetēda: Sic enim statuo, vt in ceteris artibus, cùm tradita sunt cuiusq. artis difficillima, reliqua quia aut faciliora, aut similia sunt, tradi nō necesse esse, vt in pictura, qui hominis speciē pingere perdidicerit, posse eū cuiusuis vel formæ vel ætatis etiāsi non didicerit pingere, neque esse periculum qui leonem aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis quadrupedibus facere non possit, neque est ars omnino vlla, in qua omnia quæ illa arte effici possunt, à doctore tradantur: sed qui primarum & certarum rerum genera ipsa didicerint, reliqua persequuntur. Quod si cōtendas, proprijs quæque nominibus vsurpanda, rustica & medica suo more literis consignanda, non pugnabo, si tamen ea re nihil detra-

detractum huic studio velis: nam & à me concedetur quod petis, sed non iam elegantem, non splendidum, si extra modos Ciceronis feceris, sed Plinianū, Dioscoridem ipsum, & Aratorem, non Oratorem appellabo. Hæc enim summa, nisi fallor, & sententia Ciceronianorum est: quam obtrectatores non satis intellexerunt, vel potius neutra pars alteram bene accipit, & contentio in verbi odiosi controuersia videtur posita. Etenim qui solum, aut præcipuè sequendum Ciceronem defendunt, haud alios abijciunt, quemque in suo genere putant relinquēdum, res, & voces in loco admittunt: sed si idem argumentum totum, vel partem, vel cognatum, cuius in Cicerone ratio explicata sentitur, repetendum, augendum, corrigendum, minuendum, aliò vocandum sit: seponendam turbam reliquam, & quiddā amplius, quàm alijs Ciceroni, vt omnia vnius formæ consentaneaque sint, largiendum, indulgendumque iubet. Quare si illa quæ commemorabas interpretanda erunt, licebit sanè propter insolentiam nouatorum, ex Cicerone quibusdam tritis vti, peregrinis etiam, Græcis, Arabicis, non tamen eos tunc verè Romanos, non Oratores, aut Ciceronis alumnos dicemus, in arte subacta, figurataque sint, nec mihi lis est cū Valerio, aut Gellio, satis in suo genere bonis, sed qui haberi diserti volunt, cùm nunquam Ciceronem omninò

omninò cognouerint, aut imitari constituerunt, eos ego non Barbaros quidem, sed Plinium, Gellium, Valerium vocabo: etiam dabo amplius: res, & verba de melioribus, quæ desideras conquirito: artem & faciendi modum Ciceronis addas. Alciatus, Conanus, Duarenus, & alij quid similitudinis cũ barbatulis, & balbis habent? quid Fernelius cum Vade mecum in medicina, Flaminius cum Bacone, & Burleo, Lactantius cum Scoto, Manutius cum Hochstratij epistolis? Non tamen infitiabor hos quoque non ita puros, interim nitescere, atque elegantia cum melioribus cõtendere, sed id iam Rhetorum, non ipsorum more fit, vt cùm Grammatici eousque scientiæ progrediuntur, vt ad Rhetoricam quoque tradendam sufficiant, non suo sed Rhetoris officio funguntur, vt Quintil. in II. cõfitetur. Aut in cõcursu nubium, & vaga mixtione interdum Centauri, aut alterius animantis forma temerè conspicitur, ita excidunt quædam, vel non exercitatis. neque tamen eorum abijcio memoriam, immo habendam gratiam puto, quòd multorum occasionem indies peruestigandi præbeant, sed excusari nequit, aut nõ curasse eos maiorem elegantiam, aut in sua professione labi potuisse, quod idẽ in II. Metaphy. de Philosophis iudicium extat. GEORG. Ego Ciceronianum esse, quidquid vsitatum quolibet

Ciceroniani.

bet sæculo & proprium stylusque esset, putabam. SAMB. Cur Cicero prudentiam veterum in boni appellatione requirit, & se rationi semper velle, plus quàm vulgi opinioni adhærere? GEORG. At vulgi consuetudo multa immutat. SAMB. Consuetudo, mores, ætas multũ quidem ad fidem valent, & vulgi constitutio non facilè à multorum annorum testimonio recedit, vt quod ille de legibus aliquãtum etiam iniquis, ne maior turbatio sequatur, conniuendum, non facilè mouendũm censet, idem de linguis, & sermone omnium iudicaris, cùm vulgò verba nascuntur, sed tamen Grammaticus ea colligit, Rhetorque instruenda, & modis vocum & sententiarum, ipsaque compositione aptanda suppeditat. Alia igitur huius quæstionis ratio est. Equidem pro Ciceronianis non omnia habebo, quæ cuiusuis nationis ætatis consensio, diuturnaque assuefactio peperit, aut confirmarit. Est quidem sermo datus ad sensus efferendos, vt oculi ad intellectum, sed vt acumen inuentionis, prudentia considerationis, iudicijque commendatur, eandemque rem alij aliter diuersa ratione eundem etiam ad finem eloquuntur, & scribunt: ita quò quis ornatius, elegantius, & cumulatius in eodem verbis satisfecerit, non minus anteponendus est, cùm oratio vnica litera idem cum ratione significet, Græcis in vtroque λόγος sufficiat.

ficiat. Atque si res eadem ab alio, atque alio proposita pondus, & auctoritatem acquirit, λόγος γὰρ ἀπ' ἀδοξούντων ἰὼν, κἂν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν δύναται, quantò magis si à maximo omnium Oratore omnis generis ornamentis eadem persuadeantur, insignis, & amabilis, omniq́ue laudatione digna fuerit? nam hîc nobis eloquẽtiam, necessariam, & vtilem dari volumus, nec dubitari vtrúmne commodi plus, an damni apportarit. Quare id ego solùm Ciceronianum in quaque lingua opinor, quod purũ, elegans, quod ornatum, figuratum, illustre, optabile, & sanum, iocundumq́ue sit, si quid improprium, totum quotidianum, neglectum, non modificatum, si tenue, ingratum, & insuaue sit, locum in suo quidem genere tenet, Ciceroniana vt sint, nõ concedamus. Et hactenus illud in Topicis, & Gellij in decimo accipiatur, vtendum esse verbis de cõsuetudine eruditorũ approbatis: id est, nomenclationibus in quaque lingua certis, non de vniuersa eloquentia: quæ tot figuris, & exornationibus præter vsum vulgi, atque proprietatem opus habet, aliâs ipsum improprium inornatum est: sed ornatum tamen translatis. Proprijs perspicuitatem attribuimus, verbis pondus, & auctoritatem, sententijs grauitatem, & opinionum aptitudinẽ. Equidem falli possum, non vererer affirmare, præter ea, quæ extant, & pe-

riere, multa Ciceronem scripturum fuisse, nisi à verbis, & tractatione naturæ suæ insuetis, & horridiusculis, non æqualibus, & ad aurium quoque gratiam commodis, abstinere maluisset, nouandi vsum more sui Demosthenis, qui vix ἀειλογίαν semel, vt Genethlius vult, dixerit (quidquid Fabius in. VIII. sentiat) vitasset: quod satis in philosophicis aliunde translatis, Latineque expositis manifestum est. Tãta enim sunt indicia omnis generis rerum, vel maximè à natura inuolutarum in eius libris, vt nemo dubitarit omnia illum cognouisse, & meditata habuisse: calamo quia minùs Latinè successura erant, vel asperius sub stylum irreptura, ad scribendum quæ politissima essent, desumsisse: reliqua alijs interpretanda, quibus minor elegantiæ cura esset, vel auctoribus proprijs, vt à posteritate illius abundantissimi ingenij præ alijs felicitas iudicaretur, relinquenda cogitasse. Non enim rebus tantùm & intelligentia, sed animo & auribus, sed venustate, & delectatione eloquẽtiam metiebatur, quod à Platone, & alijs egregiè præstitum vtrũq. viderat. Neque enim refert quid dicendum sit, nisi id queas solutè, & suauiter dicere: ne id quidem satis, nisi id quod dicitur, voce, vultu, motuq́ue condiatur, itaque licet ab Apelle similitudinẽ in imitatione quæramus, & alijs qui manu aliquid effin-

Eloquentia.

gunt, tamen nobis præter illorum exemplum longè grauiora sunt consideranda. Satis est pictori vel non me cognito, sed viso duntaxat, imaginem lineis, & coloribus repræsentare, imitator verò intima cum rerum, tum artificij penitùs incrospicere, vt placeat, & naturam efformarit, cogitur. Qui verò confusam imitationem suadent, rebus tantùm, non vlla præterea accessione, & comitatu satis se disertos credunt, qui si vtrunque possent, fortasse aliter sentirent, nec solùm in spinosis, & asperis, sed cultis hortis voluptatem quærerent. Sed quia non exiguam artem, non cuiusuis ingenium, hæc res postulat, rectè illis se continent, ac inuidia macrescunt: nec satis prudenter malignus est Quinctilianus, cùm effusus esse deberet: qui quoniam in vno assequi nos cuncta non posse ait, complures proponendos vult, & asperitatem nescio quam, iudiciumque aliorum adiungendum. GEORG. Quid si quædam librariorum inscitia, deprauatè legantur, aut de oris foliorum incontextum irrepserint, his vt nothis, & mendosis, recténe vteris? nónne vel literæ, aut syllabæ transpositione, tanto patrono dedecus attuleris? SAMB. Memini quibusdam, quorumin hoc studio voluntas, & paulò post stylo auctoritas prima fuit, huiusmodi

Confusa imitat.

modi quiddam vsu venisse: veruntamen si quid hoc modo committitur, in culpam qui per manus nobis errores tradiderunt, etiam vocantur: sed nunquam ego non quempiam eloquentem vnius vocis errore lapsum, aut syllabæ deceptum non dixerim. Vniuersum corpus est speculandum, ac si interdum quid alienum notetur, modò rebus insignis fraus, & obscuritas ne accidat, non plus vitiosum æstimabo, quàm quod Cicero quibusdam mimis tritis, & ob vetustatis illam venerationem grauibus sit vsus. Atque vt cibus paulò deterior appetitu, aut fame ne offendat corrigetur: ita hæc in amore, & contentione tantæ laudis salubria fiunt: contra μιξοβαρβάροις etiam si fame cogantur, quia crudelitate omnia vitiãt, nec Ciceronis quædam interdum assumta, eos explent, aut reficiunt, vtque hi sanos ex vnico errore læsos putant, ita ipsi & virtute & boni succi epulis aliquando degustatis facilè offenduntur. GEORG. Mirum est tantùm fuisse Ciceronem, vt omnes tanquam numen colant, seque illi velut sacris deuoueãt. SAMB. Si in artibus certissimis, & infinitis ambitu, perfectũ quod est, rarũ, inuenitur, quî mirũ in eloquẽtiæ atq. linguarũ varietate, si perfecto magistro is honos habetur Arithmetica, quid amplius, quid verius, & cõstãtius? tamẽ quàm pauci numeri sint, perfecti omnes miran-

 tur,

tur, cum voluptate considerant. Est igitur gratus illorum sensus, ac vera existimatio, qui summum, & studiorum præcipuum suum ducem eum diligunt: ac se Lunæ assimilant, quæ quo magis Soli appropinquat, plus capit luminis, & quo magis declinat occursum, minùs nobis reluceat, etiam si nobis diuersum videatur: ita veri imitatores illi sunt, qui à Cicerone lumen capiunt, & quò minùs imperitis apparet splendor, hoc illi maiores sunt, eique propiores, τῶ γὰρ ἀφανῷ τᾶς ἕπεται δόλος. GEORG. *Quid ergo concludis?* SAMB. *Dinstingamus conatus nostros, aut elegantes, & Ciceroniani esse, & haberi volumus, aut loquentes, & vtcunque diserti, sed verborum non ita curiosi, nec in vllius iurare verba magistri. Qui de animalibus volucribus, natantibus, plantis, rusticis instrumentis, & similibus aliquid scribere volunt, sequantur perpetuò suos, non vituperabo: si tamen eadem quispiam Latinius, & politius explanauerit, laudem tribuam, illisque præferam.* GEORG. *Quî est possibile de rebus à Cicerone haud cognitis, aut non expressis ornatè scribere?* SAMB. *Quæso te, Soles num plures sunt, num omnia simul etiam tecta illustrat? nonne si eius radijs via paretur, nullumque impedimentum obsistat, ad infinitas res accommodari potest,*

test, etiam quas antea nunquam viderit, vel lumine attigerit? Deinde non eodem modo apud Ciceronem omnia extãt, & materiæ verba sunt propria, & idonea apposita, neque omnia ornata, & splendida esse possunt: nihil tamen adeò tenuiter & negligenter à Cicerone tractatur, quin ex eodẽ fonte manarit, & velut probioris pãni, etiamsi per quædam inuolucra, & sinus color non æquè persuaserit, coloris tamẽ dignitas facilè adspicitur, ita vbique cõuenienter loco attexta est oratio, ac sua vestis induta: & interdum non vbique artem ostentant qui possunt, sed quid rectè abesse, quid dissimulari possit, innuere volunt, & rebus non tractatis subministrare modum, & artem. GEORG. *Ergò idẽ copiosè, ac breuiter ampliter, & subtiliter, varieque agere potes, idemque vt medicis sæpe difficillimum & maximè facilè est? Sed tamen iudicio ista credo fiunt, ne misceri omnia videãtur.* SAMB. *Nequaquam eum probè imitari dicerem, qui gryphes equis iungeret, aut eũdem calceum omnibus aptaret, singula quæque locum teneant sortita decenter: officinam igitur cuiuis vsui benè instructam conuenientemque velim: quod ipsum etiam de Poëtis accipi volo. Nam qui Homericus, aut Virgilianus esse cupit, assiduitate eius artem, & naturam ita penitus introspiciet, vt Pyndarum aut Horatium discernat,*

nat dithyrambos elegis non commutet, versibus exponi Tragicis nec comica res vult. Quòd si aliquando necessitati concedendum quiddam fuerit, ita omnia caueat, vt ex lyricis aliquot, heroicus tamen, ex epistolis Orator deprehendatur, & natura deflexa tamen vsque recurrit: vt quomodo leo ex vnguibus, ita vngues de leone argui possint, nec modò societate atque copula aliqua iungantur, sed continua videantur. GEORG. Hæc non satis intelligo, & quædam solicitum me habent, vt non vsquequaque Ciceronem in primis spectandum, reliquos semouendos credam. Ista enim seruitus molestissima studijs alioqui satis occupatis videtur, quare antequam de ratione imitandi quæram, liberè quæ superius sparsa fuere colligam, curque dubitem exponam, fortasse enim non tanta sunt, vt me auocare ab optimo queant: si pateris audi. Primùm, cur hodiè qui Ciceroniani dicuntur, in dissimillimis rebus versentur, forum & curiam non habeant, multa etiam diuina tractent, si Ciceronis esse toti, aut præcipuè velint, alius enim idem esse nequit. Secundò, cur Cicero, quòd ipse fatetur, multos audierit, legerit, non ex vno, sed pluribus eloquentiam collegerit: immò apertè quædam ex Terentio, Ennio, & alijs addiderit, sua fecerit? Tertium è pro- Dubit.

ximo consectarium est, cùm aliunde mutuatus non pauca sit, multa quæ scripserit, interciderint, quasdam reliquias Grammatici, & alij conseruarint: dico non omnia quæ Cicero habet, esse Ciceronis propria, nec ab eo aliena, quæ in alijs diligentia conquiras, nec deteriora. Si igitur omninò Ciceroni adhærendum est, imitatio integra omnium, quæ ab eo sunt profecta, non erit, & si esset, verborum quorundam mendicos, & transcriptionem artem statueres, quod mihi perangustæ, & puerilis cuiusdam industriæ videtur. Quartum multi nulla imitandi via docti, prudenter, ac ornatè scribunt, lepores, & sales absque similitudine, acutissimumque & subtilissimum dicendi genus, vt Cæsar, & Cotta sunt consecuti, adeò, vt ne indicia quidem seuera extimescant, & perfectam eos tenere artem putes. Quintò, cur Ciceronem, aut Liuium duo lumina linguæ Latinæ vsque ea sequamur, cùm alter elumbis inanisque notatus sit, alter Patauinitatem sapiat, & à Caligula eius imago, vt loquacis, de bibliotheca eiecta fuerit? Sextò, si optimum exemplum in qualibet re, atque idea perfecta eligenda est, ea de vno haud capi potest, sed quamplurimis: neque enim Petrus solus hominem, aut Bucephalus equũ cõstituit, sed multa solitaria, speciẽ in quouis ordine Cæsar. Liuius.

conficiunt. Septimò velim quoque doceas, num singula in Cicerone cognoscẽda, & vniuersum corpus hac æmulatione complectendũ sit: an Philosophiam explicanti philosophici libri, Theologo de natura Deorũ disputationes caussas agenti orationes sufficiant. Octauò vis imitationem, ni fallor, vnius, aut paucißimorum esse, ac vnius etiam in diuersis formæ & habitus: atqui Cicero varios secutus est, atque ex alijs quidquid præclarum est, hausit: quod à se habuit, expoliuit, atque speciosum reddidit. Et commemini Oratores à Cicerone optimos dici, vel inter se dißimiles, Cottam ni labitur memoria, & Sulpicium qui diuersos secuti, celebratum tamen reliquerant nomen: & quo sequitur non vnam esse eloquentiam principem, quod idem sui dißimilis nõ sit, nec excludendos alios, qui Romanè & optimè dicere student. Postremò sæpe mihi de omni hac doctrina cogitanti, non satis prudentes illi videntur, qui in vno licet laudatißimo elaborant, quòd error facilè committatur, & plerũque tales labores in varia iudicia incurrant, dum alios præterire dicendo, & contemnere nituntur. Nam vt quisque aliquid optimè facit, ita maximè euentus operis sui hominumque voces pertimescit. Et quis sperare nunc amplius ijs, qui æquales & coæui, vel recẽtes à Tullij vita fuere, audeat? Nónne omnibus sæculis in

maxima ingeniorum vbertate, occasione præmiorum longè maiori Cicero vix legebatur? & singulæ ætates dicendi genere variabant, nec possunt γενεαλογεῖν τὴν συγγένειαν πρὸς κικέρωνα, etsi εἴδωλον eius habetur quid prodest? cùm nihilominus in Cicerone versandum est, nec vllo tempore cognoscendi finem ponitis? Hæc sunt quæ satis confusè, & à me leuiter afferuntur, tu tamen si fidem Ciceroni adiungere meam voles, ita dilues, meamque solicitudinem publicam duces. SAMB. Ista non domi tuæ nata, sed aliunde subiecta opinor, nec sunt ἀπροσδιόνυσα, licet partem aliquam in priore sermone attigerimus: interpretabor tamen, & si potero vt tibi satisfiat, cui obsequi studeo, enitar: quibus compositis ad tertium Dialogũ transibimus, qui de generibus omnique ratione imitationis summam cõtinebit: ad quem prima tua quæstio pertinet, & ferè omnes referuntur. Nam & Bembus, & Sadoletus, & Sannazarius, & Vida in disiunctißimis argumẽtis maximo cum omnium præconio nihil non ferè more Ciceronis, & Virgilij cõscripsere: vt si illi ipsi eadem tractare nossent, longè famam in suos operum, & quosuis alios illustriorem adepti fuissent. Quippe non impedit scientem medicum quædam euenta, symptomata vocant, aut etiam morbos Galeno, & Hippocrati non cognitos de eorundẽ placitis, atque

methodi ratione curanda suscipere. Neque colores aut artem pictor mutabit Crœsum, an Cyrum pingat, & quæ per vitra colore aliquo relucentia spectantur, imbuta eodem, cuiusmodicũque sint, visa apparent, τὸ γὰρ πρέπον omnia præstare artifici cõsentaneè potest. Nunquid non fuit Demostheni familiarissimus Thucydides? & tamen non ita valdè Thucydidem eum legisse sentias.

Demosthenes.

Hæc nimirum est ratio imitandi, vt quæcũque res se offerant, explicatio, & verba ab exemplo tuo non dissentiant, nec morem Scipio: aut Hannibalis in hoc consilio probarim, qui habitum, & armorum genus commutabant, vt ille Sago, hic Romano indutus paludamento victoriam vterque alteri, & minas prænũtiarit: semper Romanus, aut Pœnus esto, si καλῶς fiat, nisi necessitas in vertendis alienis postulet. Ciceronẽ constat cũ se hisce studijs totũ addixisset, ita diligẽtem Græcorũ, & suorũ fuisse auditorẽ, vt sine illorũ præsidio, atq. exẽplis multò minùs præstaturus fuerit, immo histriones coluerit. Sed caussa vidẽda, quãob rẽ id fecerit. Lectitauit ille Græcos, & audiuit adolescens vndecim Oratores, sed ex illis varias partes seu formas, ad integrũ corpus perficiẽdũ colligebat, cui nihil deesse, in quo nulli næui, nihil incõueniẽs in omnes obseruationes deprehẽdi à suis æmulis, & inuidis, minus ab omni cõsecutura hominũ ætate possit,

sit,

sit, ex tã varia formarũ collectione, difforme nihil nisi ab ignaris iudicaretur. Etenĩ singuli quos mirabatur in aliqua virtute præcipui erãt, & velut suffragia tãtis honoribus cõferebant, lenitatẽ, suauitatẽ, ardorẽ, mediocritatẽ, acerbitatẽ, vim, lumina, & quibus tã admirabilis est alia plurima, nec vt idem nos si opus esset, factitaremus, vetarem. Sed fuit in M. Tull. natura ad has res diuinitùs ĩgenita, & moderatrix omniũ vitiorũ, iudex virtutũ intelligẽs, pectus alijs quoq. rebus eruditũ, vt in cõportãdo, & cogẽdo isto corpore, nihil accersitũ ac mutuũ, nihil alienũ & discrepãs animaduerti potuerit: sed æqualia domique inuẽta: eãque ob caussam factũ est, vt iudicibus aduersarijs, dignitatẽ & studium vniuersum consecutus sit, & à Cæsare parẽs eloquẽtiæ vocatus, honores omnes gesserit, nõ minùs quã infiniti Duces armis, lingua sua patriã suã à nefaria, & cõscelerata perditorũ coitione liberarit, qui Geniũ cũ Demosthene habuit eundẽ,

Demosthenes.

vt honorum libertatisque studiũ semper secuti ambo sint, atq. ex obscuris, & neglectis amplissimi gubernatores, at tyrannorum hostes euaserint, exules iterũ facti, vitã cum libertate cõmuni postremò perdiderint. De Sulpicio & Cotta in. III. de Oratore locus est, sed illi nõ vniuersitate differebant, sed facultatibus, alteri redundantia, lepos alteri deerat. Nec enim Poëtarũ more genera,

&

& gradus eloquētiæ ponimus: & quod optimo dissimillimum est, id deterrimū sit necesse est. Quis non Ciceroni esse similis nolit? at Menander Homeri esse voluit: homines igitur diuersi, & facultates, naturæque, non res ipsa erat. Quòd si verum est diuinè à Tullio perfecta esse omnia, propagasse stylum memoria sempiterna, cur eius vigilias, cur opes ingeniosè coaceruatas, dissoluēdas neglecto ordine cupiamus, inque iterum nouas formas digerere: in quo omnia necessaria simul, & ornamenta elegātiæ cumulatißimè, apteque elucent, & vtenda se præbēt: cur non προδομέον θεὸν colamus, & pro bibliothecis solùm pro ἑρμαθηναῖς statuis locemus? quod certè nō facimus, dū non præcipuè, vel perpetuò sequendum, colendūque ijs, qui studiosi, & cupidi absolutæ sunt facultatis, concedimus. Vt enim Apelles ad illam suam Venerem de omnibus monumētis, & præstātibus exemplis aliquid selegit, itaque absoluit, vt nihil addi, nil ab arte ad laudem poßit detrahi: qui pingendo artificiosorum numero esse vult, cur non malit Apellis .i. optimi in ea re opus, quantū possit exprimere, vti opibus commodè ab alio, mireque cōquisitis, & in absoluto exemplo declaratis, quàm magno tædio ex leuioribus, ac deterioribus quærere singula, notare vnde ille quidque assumserit, vt aptarit, cur hoc, aut illud neglexerit: quanquam in infe-

Cicero.

inferioribus Cicerone, si quid interim assumendum ad contentionem potius, quàm artem esset, istam diligentiam, vt in exercitatione styli audies, nō excludere, nisi multi esset laboris, & aucti, inanisque, quod qui diuinè id præstiterit vt omnia deceant, nihil omissum ad vllam commēdationem sit, abundè, & securè verba cum arte subministrare poßit. Periculosum enim, ac difficile est, cui omnes primū, ac summum locum attribuunt, importunè cum eodem rudibus, & primis laboribus an maiora poßis efficere, & inuidiosum contendere, stultum & ridiculum velle molestias cumulare, iniquū si nihil præstes, vituperare, alijsque opem eam, & spem euertere. Ne itaque molestias crescāt, adeoque in hac fragili conditione omnia difficultatibus implicemus, sed potius ingenio, & arte subleuemus, & ad alias quoque societatis humanæ neceßitates vitam expediamus: denuò confirmo, Ciceronem si non vnicum, at certè principem colendum, qui nos monere, erudire, formare ad similitudinem perfectam queat, vt in eisdem, diuersis, cōtrarijs propinquis, remotißimis rebus cū eo aßidui fuisse, ab eo didicisse, & non exiguum decus atque nomen eloquentiæ deriuasse videri poßimus: nisi à posteritate minùs legi, nisi distractas operas, studiumque retexere, vt tela Penelopæ velimus, quod inepte noceret. Nā vt Rempub.

pub. quiuis perturbare facilè potest, ac constituere nisi Deus potest: ita citra laborem initia, & processus, periclitationesq́. Ciceronis donec in arcē adscendit, fortasse elicias, eumq́ue velut dissoluas: sed in pristinam vt cogas gratiam difficillimū. Locutiones aliūde habuit confiteor, sed arte, ac virtute sua, quæ dissimulare voluit, ita inseruit, modificauit, propriaq́ue fecit, vt in aliam familiam transijsse, & adoptata fuisse dici possint, ὃς διὰ τὴν ἴσχον δεινότηλος, non minus quàm argumenta, etiam νοήματα aliorum αὐτοῦ ποιεῖ καὶ ἰδιότροπα. An pauca obserues de Græcis facta Latina, quæ tamē neque Platonis, neque Demosthenis, nisi extare data opera, & quædam cum venia deprehendi voluisset, videas? quid enim eloquentissimum patriam suam ex alienis locupletare prohibeat, qui aliter quàm imperita multitudo accōmodare quod suscepit, & transformare, occultare, ostendereq́ue possit. Quæ apud Terētium sunt, nónne amamus, & Latinissima credimus, qui de Græcis pæne cuncta, sed Romanè, & artificiosè velut in colonias nouas deduxit? Illud tamen nō cuiuis licebat, minùs hodiè qui parùm videmus, naturam, & proprietatem Latinitatis non satis, optimos si relinquamus, perspicimus minimè omnium vt turbam, & quosuis sequamur: cùm facilius sit vnū, quàm innumeros præstare. Deinde multa in

ta in quibusdā linguis est cognatio prouerbiorum, metaphorarum, & omnis elocutionis in eadē quoque re: vt διελθεῖν ἀρετὴν τινος τὰς ἀκοάς τινῶν ἀφικνεῖσθαι εἰς τὴν καρπογονίαν, ποιεῖσθαι τοὺς λόγους, ἔννοιαν πρός τινα ἔχειν, etc. (vt contra eiusdem linguæ homines in eodē diuersa vsurpant vocabula, quod enim πράττειν Attici, Dores δρᾶν dicebant, κωμήν hi, quod illi δῆμον, Atheniensium tabulas ἄξονας καὶ κύρβεις, Lacidæmonij ῥήτρας) quibus non vt aliorum, sed nostris præsertim mollitis, aut non nihil dissimulatis iurè vtimur. Nec propterea statim si aduertere alicui, pro προσέχειν τινὶ dicam, βαθὴν τῇ ψυχῇ aliquem, ego affluenti consilio vocem, vel sectam sequi, vociferētur hellenismum: aut Terentianū illud: quamobrem fac animo magno, fortiq́ue sis, pro Ligario, & istius exempli non pauca, nisi fiat immoderatè, vt Sallustius à Catone furatus notatur disticho antiquo. quid tum? Vnde nam Terētius, aut Ennius sua nisi à Romanis, & Græcis acceperunt? Communia & vetusta illis erant, vt adhuc nobis libera, licet non omnia probarit Cicero, minus est vsus absque venia, vt æuiterno, vitali, diffluere aut discindere amicitia, &c. Sed in quibus propriā artem adhibuerunt, id sine reprehensione pro nostris vindicare nequimus. Et dubito risu an commiseratione illi magis digni sunt, qui vt apud Ciceronem

ronem, aut Virgilium quippiam nō ita crebrò vsurpatum, aut simile aliorum subolfaciunt, hellenismum, Plautum, Terentium, Homerum esse auctorem clamitant, furtum vocāt, cùm furtum otij sit, & ignorantiæ comes, πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ ζωὰ κλοπίμων ἀπὸ ἔργων. Ego verò sic statuo nihil Ciceronem temerè prætерijsse, nihil mutuatum, quod non vt suum, si quis rationem intelligat, & elegantissimum fecerit, vt dicere posis, laudatur simili prole puerpera, & si quid insolens apud eum, & expositè incertum reperias, non vt alienum, sed ad probandum aut aliquid docēdum, & gratiam posuerit, vt videre est vel in epistolis ad familiares scriptis. Sed audi quomodo Galli, & Itali suam locupletarunt linguā? nónne tibi videtur Balthasar Castilio aulicam disciplinam genere disputationis, et formularum de Ciceronis Oratore, pæne ad paginas expressisse? quid Speronus? nónne phrasim Latinam pæne vbique in dialogis redolet, Philosophiam Græcam et Latinam? Non aliquot igitur formulæ de toto Cicerone conquiri debent, furtoque æstimari. Sed admiranda faciēdi eius ars, & vsurpatio ipsa, vtque depromta fuerint, atque commutata eliciendum: neque enim id à tanto viro ita leuiter fiebat, vt hodie à multis, qui cùm in aliqua præcipuè lingua elaborarunt, vbi alia vtendum est, semper ad magis

Castilio

magis tritam accedunt, immo Latinogermanicè, Græcolatinè, aliter enim appellare hūc abusum nequeo, scriptitant. Longè in eo quod accepit ab alijs custodiendo & cautior, quàm tabellio Dionys. qui cùm literas ad Dionysium perferendas in saccum vnà cum carne abdidisset, nocteque eo sopito in silua lupus odore carnis inuitatus literas cum carnibus eripuisset, ille omnia maximo cum periculo amisisset, nisi casu à lupo persamiliares fuissent recuperata. Sæpia dum insidias videt, effuso atramento aquam turbat, seque surripit, ita fallendus est arte Cicero, ne mutuum deprehendatur. Optarim itaque cogitarent, in rebus magnis surripiendas esse molestias, vt voluptas sequatur, nec, quæ nō subitò suauitate afficiunt, & arte constant, esse talia negarēt, ac inuidiam deponerent. Multæ sunt res quas vt attingis sese produnt, siue perniciosa sint, & inutilia, siue delectationem habeant, vt venena, vt venationes, & ludi: aliæ quæ etiam si plenæ sint commoditatis, & voluptatis nisi longa consuetudine, & certa natura obseruationeque expressa non percipiuntur. Id adeò est, quod Virgilium Poëtæ quidam negligunt, idem quod Ciceronem Valerio, Ammiano, Philelpho, Beroaldis non sanè iudicando, postponunt, & præsentem quandam gratiam appetitu canino verè, ac natura appetendis κακόστομαχοι

præferunt: ex quibus quod nutrimentum suscipiãt, qui semper habitudine praua sunt, & omnia in aquam subtèr cutem fusam conuertunt, videmus. Inuidi profectò sunt, qui paratam copiam, & penu refertum non agnoscunt, cũque opus non esset, arduũque sit, nituntur tamen disseminare cuncta, & in suas latebras cũ loca nesciant, redigere, nouosque labores procreare: quod enim proximum est cuiusq. professionis, id primũ arripere oportet: nec qui vestẽ suit, cuius pecoris lana fuerit, quis totonderit, exuerit, quis texuerit, solicitè quæret, sed pãnũ illicò ad vestẽ aptat, facitque. Quis igitur nõ insanũ fateatur: qui arte, & fauore Dei cõiungẽdorum typorũ, & prælo in chartã infinitis exẽplis reddendorũ artẽ non acceptet? manu describere ad multas noctes, quod momento expressum sit, malit? qui cõmodè nauigare pleno alueo possit, nisi aquarũ cõcursum, & ortus intelligat: cũ festinatione opus est compendio remigare nolit? Si quid scopuli, aut venti minentur, non arte, & peritia contẽnat, qui triticeus esse Demosthenes possit, κρίθινος Plotius Gallus esse velit? Quid enim nõ Cicero cõplexus est eorũ, quæ probè, ac laudabiliter enuntiaris, quid nõ significarit, quod fugiẽdum ac prouidendũ sit? vt nihil Græcismi, nihil si displiceant, aliena morari conatus possint, omnia Ciceronis, nihil Platonis, aut Aristote

lis,

lis, nihil Terẽtij, aut Plauti, aliorũque, nisi tẽpestiuè inditũ cõquerare. Quòd si nõ cuncta tractarit, & aliquãdo deficiat, nũ ideo abijciẽdus? nũ virtutes, qui molestiã interdum afferũt, repudiabimus. Ego verò iudico ipsum aptũ ad omnia si nactus sit idoneum discipulũ, quẽ excitet, & ad cursum cõmoueat. Nota.

Aquam coctam exponi aëri vt refrigeretur, videmus, atqui ipsa quam aër frigidior euadit, quòd comotio illa ad materiam sufficiat. Porrò absurdum esset Solem è mundo tollere, quòd non omnes specus, & latebras illustret, vel interim ob Lunæ occursum videtur deficere. Ad quartum respondetur naturã sine disciplina vagam, & non esse constantem, vt etiam si quidam interdum valdè sunt diserti, & artem secuti non multò melius dixissent: ars tamen eodẽ modo semper valet, & cùm vult meliora quædam reddit, deteriora agnoscit: inertes sine lege, et inconstanter omnia sine delectatione, modoque sua edunt. Ciceronem fuisse non satis firmum, sed elumbem: in alijs, si quid scripserat, aut dixerat, non negabo, in ijs quæ ad manus nostras prodita sunt, nihil eiusmodi animaduerto: si ad mores illius aliqua nota, & macula vitiosas perferas, minùs excusabo: artem certissimam & perpetuam, non vanam, orationem oratoriam, & violentam, quibus ingenium est, minimè inanem annotarunt.

 Et

Et si quid turpe, aut non gratum haberet, tamen quia mirabiliter quiduis imitatus est, artem speculandam quam adhibuit, non res vitiosas putarem. Nam si quis Thersitem proximè deformarit, non monstrum, sed artem laudamus, quæ tamē benè repræsentet. Liuium nō res, neq. verba superfluum, sed quæ tum nota magis, & decantata fuere, quædam etiam ipsemet obscura, æqualem illis faciebat, ac neglectū: nobis dolendum, quod reliqua nūquam apparebunt, quibus res Romanæ, & Latinæ literæ damnum maximū faciunt, & grauius testimonium Quinctiliani, & aliorum rectè sentientium anteferam, qui probant meliora, deteriora non sequūtur.

Caligula. *Denique Caligula morbo animi, & superbia iniuriam nō limo eam soli, sed cōmunem eruditis fieri cupiebat: quòd nō modò talibus furiosis in mētem venit, sed qui ex disciplina, & prudentia tēperare omnia volebant, quod de Adriano quoque literæ testatur, vsu venit.*

Idea. *De idea rerum omnium scio quid Plato, quid Aristoteles, immo plenæ dialecticorum scholæ doceant, nec id sententiam infirmat meam. Multos Cicero legerat, audierat, viderat, & tot exemplis cōmunem formam collegit: nos ex ea vnica, quæ omni laude cumulata est, quādò plures in ea lingua desunt, facilè singula intelligimus, vt etiam si vnū elephantem in vita conspexerim, aut stellam de*

de vniuerso genere cogitare, nec aberrare possim. Quæ igitur dementia est infinitos malle imitari, nolle cognoscere vnius perfectam formam, & ad eā similitudinem nostra cōferre? Septimò, an volēti eloquētia præstare, vniuersa, & singula quæ probat in exēplo sint perspicienda, & cùm vsus tulit, adhibēda, quærebas. Ego verò difficillimam, nec vnius ferè hominis cognitionem singulorum puto: quia tamen nullus est locus sincerus, nullus ita propter se tractatus, cuiusmodicunque res sit, quin omnia ex eadē origine fluxerint, & cōspirēt, illeq. sanguis per abdita, & remotissima quæque loca cōmunem vitā, & sensum impertiatur, de natura quæstiones sæpe doctrinā de moribus, ciuiles caussas, & vicissim sapiant, ac illustrent: dico quantum possumus diligētia, & arte contendēdum, vt quis totus Cicero sit, vbi plus minusue valeat, circūspiciamus, vt nostra congruāt definitè, suamque in sedē quælibet coëat, ne casu quidquam accidisse quod placeat, quod displiceat incautè excidisse videatur. Sequitur in tuis dubitationibus Ciceronem ex compluribus tantùm factum, ac ideo partiendam infinitè operam, sed antea significaui ipsum ventriculi, & conficiendi beneficio varios cibos in optimum succum, & alimentum, vt apes in mel varios, nec in melle tamen distinctos flores, conuertisse, nec securum id cuiuis, & expe-

expeditum esse. Qui enim epularū & terra nascentium probè naturam, ac vires, ac quantum ad cōcoquendum grauiora, & modificandum ipsi valeant, obseruarunt: non facilè committunt vt in morbum incurrant, & periculum: qui minùs sibi cauent, vel ψυχροκοιλίᾳ tentantur, à beta etiam & malua qui ab ostreis & murænis tuti erant, non reficiūtur, sed læduntur, vel certè καχοὶ non quod affecti sint quo-
Plotinus. quo modo, sed quia prorsus ἄποιοι vt ὕλη est Plotino, fiant. Ad vltimum idem quod Crasso de Orato. apud Ciceronem respondetur, dicam: si nobis artis, & professionis benè conscij simus, corruptos iudices, & vulgi quasdam tritas voculas negligemus, alioqui nec iustus rectè, nec prudens cautè vnquā si aliquis peccasset, perpetuoque formidaret, officiū suum faceret. De numero, quod olim, cùm amplior istius laudis spes appareret, & occasio tēporum ferret, tamen perpauci nobiles in dicendo extiterunt, habeo quod respōdeam. In cunctis rebus Deum, vt vis, & potestas excellēs in aliquo inesset cōcessisse, vt singulariter præ ceteris ornata vno, aut paucissimis videretur: nō propterea contrahendā esse voluntatem, nec abijciendum quod nō prorsus æquè omnium sit cōmune, & in quibusdā hodie illustre, et admirandum. Num Græcia Demosthenes plures edidit, Italia Petrarchas, aut Dantes? quis tamen eos nō li-

benter prædicet, virtutē non magni faciat, & quod in se situm videt, persequatur. De Poëtarum dotibus, & arte idem tibi persuadeas. Quod adiecisti nihil prodesse simulacrum alterius, qui semper ipsum auctorem inspiciendum doceamus, respondeo, quòd Critobulus Socrati in nō dissimili argumēto, quod ἡ ὄψις auctoris εὐφραίνειν δύναται, ἡ δὲ τοῦ εἰδώλου natura τέρψιν μὲν οὐ παρέχει, πόθον δὲ ἐμποιεῖ, quo quod satis est, hoc tempore assequimur. GEORG. Valdè me ista anxium habebant, nunc non nihil acquiesco: sed antequam ad tertiam partem accedas, adhuc quiddam ex te audire cupio: num imitabilem Ciceronem, quoad omnem σύνθεσιν illam ὀνομάτων minutam dinumerationē, dimensionemq. syllabarū permittis? SAMB. Nónne audisti imitationē speciosam vniuersam, non mutilam, & aliqua parte deficientē esse debere, etsi non exēplo nostro, saltē iudicio, & quid cuiusq. propriū sit, vidēdo id docendū, ac præstandū? Difficile quidē opus, nec quouis modo, & ingenio percipitur: verūtamen colligēdus est animus, ac subsidio artis, ac diligētis, lōgæq. exercitatiōis nihil nō exploratū, et possibile reputemus. Quòd si eā in Cice. partē negligētius habeamus, quæ harmoniā, et quasi cōcentum vniuersum edunt: ecquid illius imitationis relinquetur, qui tam diligens in numeris apud plebem erat, tam

Poetæ.

Numeri.

compositus vbique, tam accuratè de eis præceperit, vt vulgò eorum habitam rationem nemo dubitarit? quod ex vocabuli in Æschinem pronũtiatione μισθωτὸς à concione reprehensa notum est. Atque imitationis verbum in eo ponimus, qui vniuersa complexus est naturæ similitudine, non tantum nubeculam aliquam pro Iunone. Nam vt venustas à valetudine non separatur, sic numeri nunquam ab oratione, vt societate perpetuò cohæreant, licet mente distinguantur. Verba & phrases de Cicerone, aut vt nunc fit præposterè à Nizolio & vacuis recta inscriptione, ac vsu copijs petere videre inuentionis, & locorum naturam nullam, paruo negotio possumus: quæ omnia disiecta, & dispersa per indices nostros vel aliorum, nisi ita comportauerimus, & instruxerimus, condierimusque, vt ortu disseminata fuere, vix cum duce nostro certabimus, & facillimus erit ad summam eloquentiæ arcem cuilibet aditus. Si enim dicendum est quædã Ciceronis non esse, id hoc modo iure intellexeris de vocabularijs, & non pretiosis, minimeque operosè congestis thesauris: vbi nullum vestigium neque inuentionis, nec dispositionis, aut elocutionis simul adiunctum videas, & scopas dissolutas pronuntiens, totum ἀνικονόμητον ἀσχήματον, καὶ κακοσύνθετον, vbi lumen quoddam præbetur, vt alia videamus, in ipsis verò

nihil

nihil remanet aut relucet, quomodo in vitro: at χαλκεῖον vel speculum eos esse velim, vt aliquid artis simul in eis spectari posit, Verùm hodie in paucis spes, in paucioribus facultas, in plurimis audacia: sed occasio hæc eadẽ repetẽdi sese non ita multò post offeret. GEORG. Nihil restat quod admodum nunc de vtilitate, ac principe imitationis dubitem? vis enim animo, & stylo, si fieri potest vniuersa comprehendamus, & quæ sunt affinia scriptis Ciceronis, ab eodẽ, sed artificio repetamus, mutemus, & augeamus accommodemus ad omnem caussam, & argumentum quod ipsemet factitauit: immo ad noua quoque applicemus. Sed qui omnia conficiat, & in naturam commutet stomacho esse opus? SAMB. Ita sentio, quòd si non singula ritè, illiusque modo fecerimus, & quædam minùs conuenerint, tamen prouideamus, vt quemadmodum Geographi de globosa terræ forma dum disserunt, ne peccare videantur, montes, conualles, plana, & reliqua figuram, & volubilitatem eius ne impediant, minima, & ad tantam mollem sub sensum, & considerationem vix occurrentia docẽt, ita in circũferentia, & orbe nostri styli quædã vel assumta aliunde, vel non, satis perspecta, vt rotunda, & occulta sint, simulque σφαιροειδῆ conuertantur, opera danda erit, & ad summã, ὁμαλῶς τὸ ἀνώμαλον

Cosmographi.

μαλον

μαλον δεῖ ἔιναι. *Quam artem quia non nulli aut contemnunt, aut non ſentiunt, etiam aſpernantur, & vt iudicant ita loquuntur, & ſcribunt, nihil glorioſum, & inſigne vnquam aſſequuntur.* καὶ γὰρ ἑτέροισιν ἑτέρων ἔρως ἔκνιξε φρένας, καὶ διός ὁ λόγος ποιαῦται καὶ αἱ πράξεις. *Obijciant Ciceronem non omnia ſua ad artem perpetuam retuliſſe, deficere ipſum in plurimis, in paucis tantum egregium: nos eos mittamus ad Megarenſium Philoſophorum ſcholam, qui artem adeſſe artifici tantum ad vſum, & non ſemper fingebant, vt quidam* τὸν νοῦν τοῖς ἀνθρώποις, *ſed Barbarè. Tu quò libentius imitere, (quid enim amore non fit) Tullio ſemper faueas eloquentiæ parenti. Quòd ſi omnes ſequere, aut probes, vt quiſque ſuum ingenium ducem ſequatur, alios ſpernat, quando quod ſpecioſum, & perfectum eſt, aſſequere? nónne in dies erit à ſe aliquis ipſe diuerſus, & fortaſſe melior? quòd ſi quod melius eſt ſenſerit, nónne niſi fatuus ſit, idipſum deterioribus ſuis anteferat? Si antefert iudicio, cur non ſuis meliora quoque cernit, & dignóſcit, cognita malit cum laude, quàm propria imitari? Sed vereor vt videant miliora, eaque ſit cauſſa, ut in Belgicis ſcholis non nulli Eraſmum Ciceroni opponāt: quibus iudicium non auferam, modò Eraſmo quædam elegantius perpoliant, nec, dum fingunt Ciceronem mancum*

eſſe,

eſſe, ipſi Latinam linguam nouis ſuis vocabulis augere, vel obſcurare audeant. Atque hactenus de his breuiter mea, vel etiam aliorum ſit ſententia: nunc ad poſtremam ſermonis partem, quæ de modis aliquot eſt imitationis, & quid conſilio, & feliciter aggrediemur nos conferamus. In quibus ſi te attentum, ac docilem præbueris, non fruſtra deambulationem, & ad hos colles amœnam ſeceſſionem ſuſceptam comperies: imitationem, ac ſtylum omni admiratione & honoribus abundantem conſequere.

DIA-

DIALOGVS III.
De Imitatione.

GEORGIVS, SAMBACVS.

Optatißimum sermonem ingredimur, quo, si voles, vtilitatem, lucemque meis studijs magnam præbebis: perge igitur, & quemadmodum negotium aggrediendum sit, ostende. SAMB. Quorum de Imitatione aliquid constat omnes rem liberalem, & necessariam prodiderunt, etiã, quod lectißimus adhibendus est, docuere: sed quod præcipuum est, quotuplex ea sit, quodque artificium tenendum, vnà cum exemplis, præter capita quædam formularum, & leuem recentium vestigiorum indicationem, sibi reseruarunt. Sed non secus faciũt, ac si dicant, qui subiecta scribere, ac recitare velit, literas esse cognoscendas: quòd si non doceas rationẽ addiscendi, nihil ea auditione proficias: vel agriculturã qui exercere velit, γεωργίαν ἐπίςαθαι debere, sed τέχνην si cæles τοῦ ἐπιμελείας οὐδὲν ὄφελος γενήσεται. Atque ego etiam de exemplis, quorum tamen siluulam ex Demosthene iam, Ciceroneque cõgeßi, atque per suas formas dispoſui, ac legibus certis ad similia loca comparatè illigaui, nunc silebo: quod

quod accuratione quadam maiori sint conformanda, & memoriter pronuntiare ille nequeam. Dicam igitur de modis, & generibus, atq. partitè quædam persequar, vt absque difficultate, quid sentiam, aut cœperim, vt institutio imitationis reperiatur, deprehendas. Breui tamen ista locupletiora, exemplisque illustrata, propicio Deo, valetudine, atque otio cõmodiore, à me accipies: interea his tibi satisfactũ puta, & nouas tabulas institui. Audiuisti ante omnia voluntatem, & eam initio nascendi acceptam, studiumque proprium exige, vt ad Poeticen, Musicam, ad signa, & alia, nec diligentiã & disciplinam cuncta præstare, ac insitam, vel potius innatam cupiditatem eam plus ferè, quàm alia poſse. χρὴ δὲ ἐν εὐθείαις ὁδοῖς ςείχοντα μάρνασθαι φῶτα, ideo proximè ars sequitur, quæ non vnius est generis, & cogitationem, vt sana & proba sit, non paruam requirit idem in κυνηγετικῷ Xenophon vult, dum ait: Κράτιστον μὲν ἐςι παρὰ τῆς αὐτοῦ φύσεως τὸ ἀγαθὸν διδάσκεσθαι δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀγαθόν τι ἐπισαμένων, &c. Atque hîc mihi non dißimile quiddam vsu venire, & non nullis, qui longißimè de aliquo aduentante dubitant, poſse videtur. Nam idem à compluribus certo interuallo conspectus, alius, ac alius cẽsetur. Hic Platonem, ille Socratem, tertius Alcibiadem esse ait: cùm tamen sæpe nullus illorũ sit, atque omnes,

nes, aut saltem maior numerus alucinetur. Ita nobis, qui certam & non ita multiplicem viã imitandi, & vnius Ciceronis officinam suffecturã putamus, vt non satis videamus, aut certè non illicò aditu compendioso ingrediamur, contingere potest. Vt enim in Logicis, & alijs, eandem rem alij aliter probant, hic statim veram definitionem, vel caussam, ille non proximum locum arripit: ita in hac tractatione magnum est, nec tutum omnibus cõmunem, & eandem rationẽ proponere, ac probare posse: vt si vnquam de priuata institutione Quinctiliani quæstio locum habuit, an cuiusque naturæ, ac ingenio separatus modus sit quærendus, illaque generali voce præceptoris num æquè omnes proficiat, hic dubitationem inuenerit. Sed tamen quæ à certis principijs, & obseruatione vtili proficiscuntur, contemnenda non sunt: & si diuersam, magisque sibi ingeneratam quispiam rationem animaduertit, illa si adiungat, perfectum quiddam polliceri facilius poterit. Vnam siquidem eloquentiam cõstituimus, nõ plura genera, & quàm vniuersè comprehẽdi volumus. Naturæ autem diuersæ nõ eam impediunt, sed facultates & gradus, in eius partibus tantum efficiunt. Quod igitur veritati, ac discipli næ felici cõsentaneum existimabo, atque etiã extra obseruationem, quando apud te verecundiam deposui,

sui, quidquid alij iudicẽt, exponam. Si quod video, aliosque moneo ipse minùs præsto, tamen ὡς αἱ ἀκόναι τὸν σίδηρον τμητικὸν ποιοῦσι, more Isocratis, alios excitabo. GEORG. Quid tu hîc dubitas? nõne eadem via plurimos, si expedita sit, quo iter destinarunt, conducet? SAMB. Profectò, si amplam, regiamque, & omnibus tutam reperias. Nescis à fide quoque relictos salutari, Numen aliquod summum, & præcipuè colendum tenuisse, pro cuiusque tamen ingenio, & opinione diuerticula, & aberrationes ad præsidem illum, & primum suum Motorem excogitatas? Idem de methodis eloquẽtiæ varijs melioreque delectu, cùm plurimæ sint opiniões, naturæq. varia pro cuiusque conditione impedimenta, ne inscienter, & frustra solicitudo, & labor concipiatur, possis statuere. GEORG. Adeóne omnia incerta, et vaga sunt, nihil propriè vniuersum? Si solitaria, nõ publica quædã esse vis, haud ego pedẽ vsquã figam, & vel à vestibulo discedã. SAMB. Res, vt dixi, vna, & simplex est, certa sede, veritateque definita: sed opinione, ac interim prauitate, vt gustatus Democriti, cui mel amarũ videbatur, fit multiplex & obscurior: quo etiam Arist. respexit, qui sobrij, & ebrij sensum κατὰ συμβεβηκὸς diuersum ait. Ego tibi, vt in me recepi, aliquot modos terminatos recensebo: tu quẽ maximè voles, & studijs accom-

commodatiorem seruato. Similitudo nobis proposita est, per quam mens, & industria labore adiuta, atque tẽperata vtiliter comneet. Quæ quoniam ficta est, quid si Ciceronis æmulus, & imitator, omnẽ illius rationem vitæ, studiorum, factorum, sententiarum diligenter exploret, eundẽque cursum, quo ad summũ euasit, teneat? vt non modò verborum, sed exẽplorum, & virtutis quoque vtilitas adsit, vt prudentia, sanitate, & reliquis pariter nostra splendescat oratio? Certè qui aliorũ similitudinem appetunt, ad illorum vitam, studia conformare, totosque se componere debẽt: & quidem huc respexisse, qui post veteres illos, Tullij vitam ex ipsius monumentis concinarunt, ac repetiuerunt, mihi videtur: Sebastianus Corrardus, Cristophorus Panonius meus, ac nuper minimè indisertus, & magno liberoque iudicio, Petrus Ramus. GEORG. Non alienũ à ratione foret, & minùs cum eo, quem ita in cælũ laudibus effers, deprauatè indicaretur. Si enim omni pæne materiæ verba eius conueniũt, tractatio vniuersa comprehẽdit, si omnes vel indoctißimi, & infantes pueri eo magistro purius loquuntur, nihil sine eo prosperũ, sed omnia sunt aspera: cur non firmè credam eius vitam, scripta, eruditionem, optimè nostram imitandi disciplinam iuuari posse? SAMB. An verò quidquam certius est? sed

sed non satis attẽtè id susciperetur. Et si enim quibus instrui poßimus vt consilia, dicta, facta, exercitationes, notata, antegressa, quæ cõsecuta sunt, prodesse multùm solent, & omnia præter quàm natura, & ingenium, vt multi affirmant, assumi queũt, tamen multis de caußis non requirit cuncta imitatio. Quamplurimis vita non sufficeret ad singula persequenda, &, antequam fructum primæ operæ sentiret, dum non ita necessaria serijs misceret, labor cum voluntate succumberet. Etenim si ijsdem gradibus, studijs, auscultationibus, exercitationibus quod nobis proposuimus, acquirere niteremur: primùm non eadem est omnibus natura, non conditio, & quod satis quidam sibi fore putant, breuiorẽ tempore, ac citius commodiorẽ ex ipso Cicerone iam adulto, & perfecto viam, quam tot ætatum, laborumque diuortijs adipiscentur. Nunquam ego, qui primum ingredi, & pedem figere cœpit, ab infantulo reptãte, si vestigijs solidis virum habeam, incessum disci velim, & quidam ante quàm repserint, erecti ambulant. Cùm igitur vt currendum, & vincendum sit exemplum Cicero præbeat: cur vt consistere, progredi, cur quoties offenderit, prolapsus sit, explorare, ac imitari velis? quid si non eodem robore, & virium sanitate iacens prosilias? Et si nemo statim principio finẽ coniunxit, ac perfectus euasit.

Si igitur institutio inueniri certa similitudinis, & colligi è summis potest, nō ego partiar solicitudinē, & ab imis omnino enitar. Proinde hanc rationem, quo ad nostrū cōsilium, & styli formationē, nec probo, nec secutus sum. Actiones illius dicta, et similia cū opus erit, nō aspernabor: si laudabilius, & sanū magis in alijs quod adinuēta sentiā, cur nō præferā, orationē tamen, & artē M. Tullio nunquam auferam. Quòd si tu etiā de arte, & præceptionibus illius tantū accipis, dico plurima illū dißimulasse, processusque & modū non expreßisse: ideoque inuestigatione, & indicijs aliorū quoque nos subleuari posse, quæ tamē vbi sunt animaduersa, minimè tātum aliorū, ac noua sunt dicēda. GEORG. Vide ne imitatores faciāt, quod alicubi de Græcis scriptoribus Cice. pronūtiat, ne parū multa scisse videātur, ea conquirant, quæ nihil atttinēt, vt ars difficilior cognitu putetur. Scis alicubi Rhetoricā ἀντίστροφον appellatā non τῇ διαλεκτικῇ, sed ὀψοποιικῇ? SAMB. Fateor me ad nullum gradū istius facultatis peruenisse, sed tamen vberiorem linguā Græca puto, ab omnique laude feliciorem & recta, necessariaque via eundum: ea re nihil ementitum, & fictum me adducturum recipio, atq. Latinis quàm Græcis magis confidendum, nec deuiā, ac per omnē viam abductam imitationē laudaturū. GEORG. Minus ego secus

secus credam, si verum est inuentionem, ac naturam alterius vix nos insinuare posse: reliqua enim vt gestus, actiones omnes repetere, Poëtarum & mimorum est. SAMB. Quidam theatrum se repleturum, & exornaturum pollicebatur, de quo sentētiam, quia nusquam comparuit, ferre nequeo: facilius tamen est amplißimā aream, & spatiū cogitatione, animoque describere, quàm ædificiū substruere, omniaq. suo loco, ac decenter ponere: nec ignari, & cuiusuis, cùm omnia cōpleta digestaque deceant, cōmouere, &, quo velit, trāsportare, inq. vsum ingerere. Nō dubito tamen si vixisset, quæ cōceperat & informarat, demōstraturū præclarè fuisse. Audi ui ex Italis Iuliū Camillū summa apud regē Gallorū Frācis cum gratia, eiusq. totū comitatū, id Lutetiæ molitū, certāque spē eruditis fabrica, & simulacro argēteo, quòd cōsilij imaginē habebat, cōflato, libello etiā vulgari spē, id fieri posse, plenā fecisse. Sed memoriæ illa priuatiq. vsus potius sunt, quàm aliorum: & septenarij illa multiplex, & per vniuersas res, atque fabulas excogitata partitio illius, quem non verius moretur, quàm promoueat? GEORG. Aiunt futurā fuisse prorsus admirabilē, vtinā quispiā hodie eius exēplar accipiat, atq. locupletißimū, & cōmune omniū theatrū aperiat: in quo, vt mercatura omnis generis merces, ita copiosa, imitabilisq.

 silua

silua, & discreta verborũ, sententiarum, luminũ, artificialisque sit comporatio: næ ego meas opes in eam nundationem depromerem, & sector ad hastam fierem. SAMB. Credo quiddam huiusmodi relicturum fuisse Camillum, hoc est, dissoluturum Ciceronem per omneis Rhetoricæ parteis, & ad vsurpationem subiecturum. Quod ipsum ille si in animo versauit, ne desperes. Est enim in opere eodem, & diligentia Ioannes Sturmius Argentorati, ingenio minimè angustiori, iudicio, & arte forte ampliori, qui nouam, & inauditam Ciceronis ἀνάλυσιν intra non multos annos, vel iam menses in votum, ac desiderium omnium daturus est, ad disciplinas redactam, & facilem rerum, verborum & figurarum ordinem. GEORG. Vtinam velit. fortasse illud est, quod in quadam eius nuper epistola legi, vt aliquis mediocri ingenio, quod animo complectitur, idem poßit Latinè pronuntiare, purè, variè, copiosè, ornatè, & id propriè, vtque inuenias rerum compage, non literarum puerili serie, & adhuc repetita. SAMB. Non dubito quin poßit: quæ ratio facilè omnium thesauros incõditos obscurabit, & in tenebras expellet. non enim id quisquam conabitur, nisi modos simul variandi, mutandi, ornãdi, augendi veros sequatur, aditumque imitandi patefaciat, & innuat. Nihil ego dicere, si mora illius editione tibi,

tibi, & alijs multis non fieret, nec opus hisce meis nugis apud te foret. GEORG. Non ita pridem aliquot ingenio, ac nobilitate egregij adolescentes, qui Sturmium audiuerunt, mira de opere eo suauißimè narrabant: meque ab ore velut suspensum tot promißis in eius viri secum obseruantiam adduxerunt. SAMB. Et merito. Quis enim, vt, quod verum est, fatear, in Rhetorum officinas penetrauit magis? quis Ciceronem cum Græcis acutius comparat? quis in scholas Germaniæ Hermogenem, Halicarnasseũ, quis ipsum Aristotelẽ reuocauit? quos nihil minus, quàm ad Ciceronem accõmodatos plerique opinabantur? Nihil itaque immerẽti tribuere adolescentes illi: itaque nisi lectum, èque disciplina natum, securum ac fructuosum, ab eius bibliotheca, nihil nobis est expectandum. GEORG. Posset ne ratio iniri eadem, aut similis in Poëtarũ scriptis, præsertim Homero, Virgilio, &c. SAMB. Quid impediat, ac operæpretium maximũ facturus esset, id qui rectè susciperet, vim, & vsum vocabulorũ, cum epithetis explicaret, ea quæ neceßaria sunt, & vtilia, à minùs talibus discriminaret, quæ spõtè nata, & liberè posita sunt, à coactis ob numeros, & quasi figuras quasdam seponeret, varietatem, copiam translatorum, vel fictè proprijs, & veris commutatorum, modos descriptionum, digreßionũ an-

 nota-

notaret, cuique generi proprias virtutes subijceret, vsuique rudiorum compararet, mutua, vel cũ alijs communia significaret, idem quàm diuersè propositum habeant ab Oratoribus, digito commonstraret: sed scientis est cum laude, experientissimique, & assuefacti iudicij perspectè in his versari. De eisdem principijs, & fontibus Oratorum, & Poëtarum motus ducuntur, atque sunt Poëtæ illis nihilo leuiores, interdumque ob numerorum commoditatem superiores, sed diuersè id moliũtur. Illi enim ad victoriam, ad laudem, & salutem, lucemque magistratuum, & amicorum omnia conferunt: hi ad instituendam vitã, notandaq́. vitia sua dirigunt. Numerus grauitatẽ habet in Poëtis venerandam, & diuinis rebus oportunam: iccirco Rythmi excogitati fuere, dithyrambique extiterunt: postea ob morum, omnisq́. vitæ disciplinam tractandam fuit exculta poëtica, & vulgo accepta, soluta oratio tenuior, & nimis freq̃ues erat: hæc cõferre debebit explicator bonus. Si quod gestũ est narretur, historicũ putet, si quale sit quod gestũ est, addatur, poëticũ. Sed ad institutum redeamus. Quidã Ciceronẽ studiosissimè putãt euoluẽdum, & in eo multa imitationi cõcedunt, sed de structura, cõiunctione mẽbrorumq́. & numerorũ quadã annumeratione, clausulis, & illa superstitiosa cöedificationis omniũ partium,

tiũ, & locorũ examinatione voluntatẽ, & conatus vanos, irritosq́. profitẽtur: de quorũ opinione intemperãtius nihil dico, quòd meas vires tenues, & progressus ferè nullos styli ipse videã, & multa quæ abducere nos ab ea cogitatiõe queãt, dici soleãt: verũtamẽ quibus caussis in hãc mentẽ aberrarint, vt ne cognoscẽda quidẽ in alijs esse velint, & cur labores tanto viro noluit commendari, cuius lautities omnium animos & cogitationes facilè capiat, ornateq́. ad quẽ solum omnia deferẽda sint, nõ ab eo cohibenda plenius vellẽ docerent. Si Ciceroni esse volumus, sine præcipuis elocutionis partibus, materia vtcunq. inuenta, tributa, coaceruatis tamẽ non æquè, vt rebus, verbis, et figuris, dimẽsionibusq́. syllabarũ applicatis, & digestis, quod cupimus, vel nõ inspecto vnquã Cicerone, hoc est, vniuerso illo, ac pulcerrimo in quauis materia, genereq́. dicendi ædificio, ex Zãchi indice, Nizolio, cuius exẽpla cõfusæ potestates vocũ præpositas, nec vniuersas declarãt, et similibus αὐνδρωπ cõsequemur. Si enim quid pes tantũ, manus, caput, pectus, et ceteræ hominis partes sint, cognoscere volumus, Apellis, aut Phidiæ opus nõ mirabimur. Atqui nemo à me impetrabit, vt credam, eundẽ disiectũ, et partibus dispersum Medeæ fratrẽ & viuũ fuisse: vitã à morte nõ differre. Hominẽ eũ dicimus, qui cũ vitam habeat, ratione oĩa instituit,

 admini-

administrat, cōtra officiū nihil sciens cōmittit: quod in oratione quoq. indice, ac ministro rationis spectādum est, vt carnem, & sanguinē, ossa, & neruos, lacertosque habeat, ac decentē in omnibus conformationem, spiritum & vitam: vt nihil non placeat, nihil dissolutum, inflatum, ieiunum, asperum, deforme, imbecillum, mortuum, nihil parum, aut immodicum habeat, καὶ καλέσον αὐτὰ δυσὶ ὀνόμασι, *vt Dionysius* μέτρον καὶ ἀσφάλειαν. *Hæcque illa sunt, quibus Cicero admirabilem se, ac diuinū proponit, quorum aliqua pars etsi in moribus, & affectibus contineatur: tamen harmonia, & concentus ille numerosus, ad animi, & aurium suauitatē accersitus, non minùs, quàm vox, & gestus in actione, gratiam habent. Ac vt ædificium confabricatum, & absolutum ex partibus ratione positis, et conuenientibus, velut dinumeratis, & vbique aptis commendatur, ita oratio extremam quandam manum* τοῖς ῥύθμοις *accipiat. Vox enim quamuis contenta, & clamosa nihil afficit, parumque significat: sed numerosa, & arte, sensuque modificata, instructaque mouet, ac docet: idque est quod de rythmis in Euagora Isocratis habetur, & numeris quidam omnia constare dixerunt. Vt nō minùs hîc affirmare conueniat, quod Trismegistus alicubi de statuarijs in Ægypto memoriæ prodidit, adeò perfectas, & admirabiles statuas*

tuas à quibusdam effictas, vt ob partium harmoniam animatæ diuinitus illico fuerint, ac vixerint. Si enim è literis melius sonantibus clariores, ac vocaliores sunt syllabæ, ex harum artificiosa copulatione dictiones pleniores, cur non de sensuū, ac multarum vocū cōiugatione, vt εὐαχουστότερα *sint, quàm si temerè diffluāt, admittas? Quamobrem Georgi, si non omnino assequi exemplis nostris, attamē illa suspicere, notare, vt iudiciū erudiatur, imitari, vt laudetur, solemus. Ostendi aliquoties orationē vulgi, & sententias ab oratoria differre, immo quantū intra parietes conclusus Orator ab eo, qui curiā spectat, forum intuetur, differat, quis nescit? aliudque esse grammaticè iungere sententias, et orationem, aliud oratoriè, eandemque distinguere, ac notis interpungere? Hi enim non res tantùm, & verba, sed numeros quoque sufficere ac* συνθήκην *complere student, vt sententia est integra. Est aliquid placitis abstinuisse bonis, hanc Orator, vt periodus fieret, sic cōpleret. Qui enim ab ijs temperare sibi, quæ auidius concupiscit, commodè potest: haud ille paruam meretur laudem, etc. At vt res aliquantò clarior fiat, à Poetis, vel Musicis adeò exemplū cape. Num illi rationibus tantum, et arti quæsitæ inseruiunt, nónne cùm opus est, suauitati multa permittūt, & auribus? Haud rarò eiusdē carminis varietatem*

in diuerſis canendi modis, multiplicem, ac ſibi non ſimilem obſerues? Quod enim voce editur, ſæpè placet, & omnibus ex arte ſatisfacit, idem ſi fidibus canas, gratiam non habet, vt addenda, demenda, quædam coacta, & conferta, non dißipata. ſint, oportet. Hinc fluxit mirifica illa interpungendiq́ue ſententias eruditorum, & partes eius varietas, vt de decem vix duo ὑποδιαστολῇ, καὶ ὑποστίξει conſentiant, dum hic grammatica tantùm, vel aliud, ille numeros quoque non Latinorum modò, ſed etiam Græcorum attendit. GEORG. Quid nobis cum Græcis negotij? eoſdem numeros, & clauſularum pedes non quælibet lingua patitur. num vernacula noſtra cum Latinorum obſeruationibus conuenit? SAMB. Si rem propius conſideres, & quo in loco, cur quidque poſitum, dißimulatum, cur magis vel minus concinnum, numeris inſtructum ſit, diligẽter introſpicias, non diſſimile in quaq́ue lingua, ſi eam excolas, moliri potes: non retardabit ſolicitudo incertæ tranſpoſitionis, & commutationis, quam priori ſermone in peregrinis locutionibus non parum nobis obſtare docebam: nec verò Græcorũ, & Latinorum eadem de clauſulis, & pedibus, ſeu perfectione doctrina eſt. Ariſtoteles in quibuſdam philoſophari cum Theophraſto Theodecteque, & ad proportiones vocaſſe vide-

videtur, vt Pæana: ſed nos in primis Ciceronẽ, & qui eius voce loquũtur, audiemus. GEORG. Atqui vt ſæpè mones, nõ ille cuncta ſuis libellis cõplexus eſt. SAMB. De cõſummata eloquẽtia, ad quam vis ingenij peruenire poteſt, explicatè tradidit: nec vt quidam veterum, fecit, qui & ſi nondum quenquam ſapientem repertum putabant, præcepta ſapientiæ tamen tradebant. De ſuo exemplo, & alijs optimis præcipua deſcripſit, & qui cum Græcis conferunt, nihil noui docuiſſe Quinctilianum, & alios animaduertent, in exemplis verò etiam longè plura expreßiſſe: idq́ue eſt, cur Cælium virum ſimplicem, qui nihil cælet ſapientem, qui neceßitati ſeruiendum putarit, vocet in Oratore. Si quid enim eſt in arte ſimile confitendum nõ cenſuit, eaq. re ego nõ præceptionibus tantũ acquieſcendũ cõmunibus, quæ tamẽ veſtibulum quoddã imitationis ſunt iubeo: ſed quæ latẽt, dißimulauit, aliũde trãſtulit, cũ alijs quãdo certauit, vbi ſuperauit, vel inferior eſt, illa vt cõſignemus, & admiratione, induſtriaq́ue imitemur. Nulla enim pars eſt gloriæ Oratorũ, cuius ille veſtigia in ſuis orationibibus ſi nõ expreſſerit, certè adumbrarit: ſi quid aliunde ſumſit, arte illa imitãdi eandẽ in omnibus indolem, & ingeniũ ſtylus tueatur, ac τὸ πρέπον vtrũq. mirabiliter cuſtodiatur, oratiõis et perſonarũ, vt de illo Hermog. de po-

de posteriore Halicarnasseus scripsit. Sed vt ad numeros redeamus, tu etiam atque etiam tibi persuadeas, certã esse numerorũ scientiam, annotationem non ita laboriosam, nec difficilẽ, exercitatione atq. consuetudine vsum non negatum, qui quasi extrema lineamenta orationi affert, vt aliorum imitatio mutila, & decurtata, nullo modo assensum meũ sibi adiũctura sit, laborãdum est igitur in hac laude, aut nomen imitationis relinquendum. Quòd si Craßi verum est iudicium, verborum eligendorum, & collocandorum, & cõcludendorum facilem tum fuisse rationem, vel sine ratione exercitationẽ: quid aßiduitatẽ nostram frãgat hodie, cupiditatẽque minuat, qui expedita imitatione, exẽplisque ipsiusmet Ciceronis tẽtare, & tractare ista audeamus? Sed denique audi summam, & caput diuisionis. Imitatio aut rerum est, generalisque omniũ, aut verborum, & omnis artifitiosæ elocutionis, hãc particularem, nec quorumuis appellemus. GEORG. Declara hæc. SAMB. Vniuersalem optimarum, & libero homine rerum dignarum esse velim, vt siue Cicero, siue Plato, siue alius rectè aliquid tradiderit, eo vtamur, quauis lingua repetamus, sed tractatio, vt in verbis, arte fiat, omnibusque modis sapientiam colligamus, iudiciumque & vitam confirmemus. Neutrum enim laudabile per se, nec sapientia indiserta aut

aut muta, nec eloquentia inanis, & rebus vacua. Rerum igitur cognitio, quando naturam, & inuentionem propriam cuiusque assumere negatur, de sanis & optimis quibusque petenda est, vbi pectus eruditione aliorum muniuimus, & canere multa didicimus, nullius nos præterquam optimi, ac verißimi Dei, auctoritas, à iudicio veritatis deterrebit, quin quæ meliora sunt videamus, falsa aut minùs vtilia negligamus. Singularem voco istam verborum, & virtutum orationis, quæ nõ cuiusuis est, sed præter res, obseruationem, & artificiosam perpoliẽdi, ornandique operam deposcit: ad quam naturæ præsidio, et cognatione quadã propinqua opus est, qui excellere velit, ne tota facta sit, sed aliqua parte propria, cũque duce conflata imitatio. Loqui ad necesßitatẽ quilibet potest, bene, ac ornatè loqui, nisi magnorum, & exercitatorum est. Istam ipsam ego Ciceroni, si non soli, & perpetuò, tamen plurimũ tribui, & necessariò, qui optimè dixit, elegãtißimeque scripsit, velim. Dixi necessariò, quia se eiusdem vrbis, in vicos eadem communis lingua in nõ finitas dialectos discedit: quid de tota Latinitate, eiusque scriptoribus cogitandum est, in omnes terræ partes longè, lateque, & variè deportata, perque colonias deducta κοινισμῷ? ne praua, & impura inertiaque, sed artificiosa, casta, & integra in simulacrum seliga-

*ligamus? Huius quædam species est rudis, transcri
pta, nō tecta arte, nec furtiua, sed euidens omnibus
exposita, illa eximiæ naturæ, longæ obseruationis,
diuturnioris styli, quē si nō applices, præter frustra
tionē, nihil asportabis, fucata, interior cōuestita, te-
cta.* G E O RG. *Quam vocas inartificialē, & quo-
rumuis in Cicerone vtcunq. familiarium.* S A M B.
*Quā hodie errore: ac periculo proprio inflati quidā
veram imitationem sibi confinxerunt, nec paucos
etiam alicuius nominis viros eo mendacio pro Ci-
ceronianis vendites, qui ostentationem non satis pu
dentem sibi arrogant, minus prudentem, ac veram.
Percurrunt non nulli Ciceronem ad phrases, & ver
ba quædam nō ita crebra in libellum abdūt suum,
formularum eiusdem generis siluam quoquo mo-
do, vndecunque contrahunt, rebus, ac loco non dis-
crimine, cum epistolium exarandum est, modo con-
scia sint Ciceronis, accumulant, cogunt: si quid re-
petendum sit, aliud ingerunt, geminant, vt siue
epistolas, siue historias, siue orationes componant,
præter aceruum exquisitarum formularum, in-
solentium vocum, sine caussa iteratarum, mimu-
tamque operam, nihil reperias: de quibus Scæuo-
la iudicasset: quàm lepidè lexis compositæ, vt tes-
serulæ, omnes arte, pauimento, atque emblema-
te vermiculato, & cet. Sed abscondita non vident,
vel*

*vel potius illa persuasione sibi ἀμίμητα efficiunt,
tantùm leuia, & omnibus facilia colligunt, & mo
dò sint liquida assumunt, nesciunt tamē cur ab oleo
flamma alatur, ab aqua extinguatur, cū sit vtrū-
que liquidum, contemnunt genus argumentorum,
sententiarum, rationes, cōsilia, cuiusque συνθέσεως
naturam, inter se locorum similitudinem, compara
tiones, latentia, exposita & alia veræ imitationis
indicia. Quæ ignoratio eos facit temerarios iudi-
ces, qui cùm vix discernere studium ab officio, fa-
miliarem ab hospite, & amico, minùs scripturam
à portario, aut vectigali possunt, sese Oratores vo-
ciferantur: sed Menedemus quod de Athenas pro-
ficiscentibus literarum gratia dicebat idem de his
confirmandū, initio eos statim fieri sapiētes, deinde
Philosophos, tertio Rhetores, vltimò idiotas, pror-
susq. idiotas. Etenim si materia illustris explicāda
proponeretur, quales viri sint ostēderet, vt ἀρχὰ τὸν
ἄνδρα δείκνυται: nec tantū colossus ille οὐρανομήκης
omnibus spectabilis Homeri, sed etiam ναὸς μελίτης
πτέρυξι κεκαλυμμένη perspicienda est prudenti,
καὶ λανθάνοντα καλλώπισμον ἔχοντα. Sæpe so-
leo dicere, quorundam scripta omnes formularum
indices repræsentare, nec differre, dum non quærūt
num rebus, sententijs, & loco apta sint, numerisque
congruant. Tales quidem, si meliora non didicere,
non*

non omnino malos dico, quia Ciceronem nobis custodiunt, vt si aliquid eius periret, recuperari horum labore verba possint: verũtamen rudioribus, ne vitiosa, & inania redundent, quæ arte circũcidenda erant, & rebus congrua verba, & numeri sint (multò magis, quàm apud Musicos, qui verbis consentiẽtes numeros efficiunt) nõ satis tutos, quòd ψευδὴς ἡ δόξα ταχὺ ἐλέχεται ὑπὸ πείρας, atq. Socrates iustißimè ῥαψῳδοὺς vanos affirmarit, ὅτι τὰς ὑπονοίας οὐκ ἐπίστανται apud Xenophõ. GEORG. Audio tamen Virgilium, & Ciceronem quædã ab alijs transcripsisse, totidemque verbis, & ordine inseruisse, cur idem occultißimè nobis non liceat? SAMB. Quæ illi assumserunt, nõ vti sua, & propria, sed aliena esse voluerunt, nec id dißimulant. Nanque aut rebus Latinè nondum cognitis, aut propter auctoritatem, & doctrinam, interdũ etiam quandam gratiam quædam inseruere: si quid non ita extet, apertumque sit: id iam non Homeri, non Terentij, vel Ennij, sed ipsorũ artificio subactum, & factum proprium dicendum est, minimè furtum, aut puerilem, vacuamque illam imitationẽ. Quippe imitationis summa ita est consideranda, vt aliquoties monui. Nobis propositũ eße Latine, & quidem optimè loqui, & scribere. Res eædem vbique sunt gentium, nec cogitatione Aristotelis à mea diuersæ. itaque res apud auctorẽ, & ipsum me eadem manet, in verbis sit disciplina illustris oportet, quam non eodem modo cum auctore delecto fortassis intelligam. Nam verba quæ in Cicerone vel Terentio leguntur, aut fuerint ante illos vsurpata, inque communi notitia, tam propria, quàm translata, atque ea mihi, omnibusque sæculis communia semper duxi, nec vsus eorum furtiuus est iudicandus: aut ab ipsis quædam immutata, melioraque facta. Hæc ipsorum quia sunt propria, si à me eodem assumantur modo, & integra, furtum dicẽdum est, non imitatio. Quid igitur agendum, vt absque crimine tam graui Ciceronẽ sequaris? Vetusta, quæq. ante Ciceronem viguere, nobis vt illi conceduntur, nec vitio notantur, in quibus tamen laus imitationis non consistit: si, quæ Cicero expoliuit, auxeritque mutues, accusabere. Hîc non negabis rationem formandi verba, variandique tam singula, quàm composita, nobis inquirendum. scilicet quando Cicero neceßitate adductus, vel gratia, vel caussis, vel rerum proprietate, epithesi, circumlocutione, vel translatione aut figura vsus sit, vel alijs modis, elegantiam sectatus sit, vt ex locis argumentorũ ferè omnibus id eum fecisse præsertim ex antecedentibus, consequentibus, adiunctis sæpè indicaui: nec tu dissentiebas formas, & varietates, co-

piamque verborum ex eisdem locis, quibus rationes, conclusionesque nituntur, & affectus, depromi, & existere posse. Quam artem si nos in Cicerone cognouerimus, & paucissima mutuabimur, & de inopia linguæ Latinæ deinceps minus conqueremur, dum eũ quædam vel ignorasse, vel silẽtio inuoluisse clamamus, fugiendisque nobis auctoritatẽ nobis vindicamus. Quid ego in Cicerone quæram, aut cur singula exigam, quandò modos artẽque similia faciendi teneo? Ac iudicium hac parte nõ ineruditi senis requiro, qui se Græcè benedicere malle, quibus Latini carerent, aiebat, quàm malè Latinè, eaque ratione se non ita pridem ad Papiensem quendam Philosophum epistolã totam ferè Græcam, ob penuriam in eo argumento Ciceronianã scripsisse mihi narrabat. Sed si opinionẽ de senis animo falsam euellere possem, ostẽderem nõ Ciceronianũ dici, quod apud Ciceronẽ tantùm legitur: sed potius qua Romanam gloriam, linguamque locupletauit, & excoluit artem ipsam, quæ omnia præstat, idque sine furto. Multa in Rhetoricis ab Aristotele, multa in Philosophicis à Platone quoque, & alijs sumsit, sed ita, vt quæ voluerit, non tecta sint, quæ transportata, obduxit, difficilè, ac nisi eadem arte, modoque nunquam detegas, ac ita ornata, expolitaque reddiderit, vt vincere, & debitum repetere, non

debere se, aut succumbere velle comprobarit. Quis negat Orpheum ex oraculis Apollinis, Homerum ab Orpheo, Virgilium de Homero, Hesiodo, Theocrito Petrarcham è Virgilio, & alijs materiam, & quædam verba mutuatos, non pauca ad verbũ expressa, καὶ παραπεφρασμένα: sed tractatione diuersi sunt, & in quãplurimis inter se & pares & superiores, inferiores non dicã, ita mirè transformauit omnia præstans natura, & certa imitationis πολοτροπία Virgilius ferè leuiter, & apertè Homerum trastulit in tot comparationibus, & ἀθανάτοις, alia non videntur. Materiam igitur non aufero imitatoribus, sed verborum tractationem longè ab illa vulgari, apud tantos scriptores diuersam censeo, & more Lunæ σεληνιάζεσθαι. Cur enim plures idem non tractent? forma tamen in optimo duce non mendicata, & obuia, sed quasi αὐτοφυὴς, & abscondita requiritur: ne manus tantùm, & memoriam nobis fuisse, artem nullã docti pronuntient. Nonne Antonius semper dissimulator? Oratorẽ Plato instituit in Gorgia, Rhetores exagitãdo: dũ enim quid agant, quid vituperet, ostendit, omnes artis præceptiones adumbrat, nec minùs quàm Aristotelem de arte prodidisse, qui intelligit, offendet: & tamẽ odisse eos, aut nunquam legisse vt imitetur, simulat.

 Proinde

Proinde quo ad hunc modum simplicem, & quod eloquentiæ principium est, verborum optimorum, & potestate in singulis rebus, ac locis distinctorum, delectum, & copiam initio cumulabis, in eoque, vt quisque censuerit, vsibus suis fore oportunum, ita versabitur. Sed in primis quæ sua spōte nata sunt, à conuersis illis, & factis accuratè separabit, necessaria à non necessarijs discernet: potestates proprias, & collatione, modoque aliquo cōmunes, de ipso Cicerone indicatas notet, consuetudinem sermonis quotidiani non negliget, nihilque confusè ponet, quandò & Cicero dicit, concedere vsum se vulgo, scientiam autem sibi reseruasse loquendi. Huiusmodi assuefacta obseruatione sententiarum, & verborum in Cicerone, assequemur facultatem iudicādi quoque, ac restituendi multa in eo loca vitio librariorum, & temporum vulnerata. Nam ex compositione, ac sententiarum genere, vsuque perpetuo coniecturæ, remedia istiusmodi vulneribus sunt magis, quàm Philosophorũ, & Grammaticorũ, vel etiam historicorum somnia, apta, & salutaria, διὰ τῶν ἰδιότητος καὶ διάκρισιν, καὶ συζεύξεως. Nullus seipsum melius neque intellexit, neque interpretatus est Cicerone, si artificiosa συγκρίσει, & iudicio loca expendas. Modi autem animaduertendi, & discernendi ab alijs plures conquiri possunt, & velut capita indicibus præponi,

ni, sed, ni fallor, ad hæc possunt redigi, quibus idem aut diuersum omnibus circunstātijs agnoscas. Nā aut collocatione vis verborum, & locutionũ etiam quasi gradibus quibusdam, aut subiectione significationis, vel διαστολῆς, aut circuitione, definitione, notatione, aut contrario eius opposito, vel dissimulato, aut ἐκλάσει, & ταπεινώσει rei, aut contractione ad idem, vel extensione plurium, dissimilitudine, cognatione, vsu, abusu, tēpore, & moribus Rerũpub. translatione, cōformatione, allusione, allegoria, ἰδιότητι, ἀντιθεσίᾳ, solitario cum copulato coniūcta, analogia, & omnibus ferè schematibus, & tropis, partibusque, & locis rerum genereque orationis, & cōpositionis vim tum solitariorum, tum coniunctorum, phrasiumque explorare potes: sed in his omnibus, vt dixi, & transformatis & modificatis propria seiunges, vt horum singulorum exempla, cùm occurrunt, significare me solitum nosti: sed tamen hîc etiam quædam nota, ex libellis tantùm, & oratiunculis nuper expositis subijciā. Collocatione cùm incrementum verbis res acquirunt cōsequentibus: vt in Parad. Nec verò ego M. Regulum ærumnosum, nec infelicē, nec miserum vnquam putaui. Locutionum, pro L. Manilia: Hinc in illo timore, & fuga Tigranes rex Armeniorum excepit, diffidentemque rebus suis confirmauit, & afflictum

 erexit,

erexit, perditũque recreauit. Subiectione: Ipse enim mãsuetus, versus immanis, & in episto. ad Q. fratrẽ. Hortensius summa assiduitate me insidiosissimè tractauit, nã aduerbiũ hîc, quid assiduitas sit, explicat. In Piso: Quos tu Mæandros, dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula, flexionesque quæsiuisti. Diastole, non ego oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui, & meus in Cilicia miles, in Græcia commilito, & illud: quidquid non oportet scelus esse, quidquid non licet, nefas putare debemus in episto. Circuitione: postquam in castris esse potuit per ætatem, pro, arma gerere. Definitione, parabo: vna virtus est, consentiens cum ratione, & perpetua constantia. Notione: pro Deiota. eandemque assiduitatem tibi præbuisse postridie, &cet. Contrario. Ille inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti. Contrario dissimulato, seu diminutione, pro Murena: in quo luxuriam reperire non potes, in eo te vmbram luxuriæ reperturum putas? pro Milone: & aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur, ἐκθέσει, pro Sestio: Seruaui igitur Rempub. discessu meo iudices cædem à vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas meo dolore, luctuque depuli. In Philip. XIIII. fœdam crudelitatem non solùm à iugulis nostris, sed

sed à membris, & visceribus auertit. Extenuatione, pro Deiota: Si quid eorum quæ obiecta sunt cogitatum sit, pro susceptum, vel patratum: & in episto. nostri τυραννοκτόνοι lòngè gentium absunt, id est, metu profugerunt. Συστολὴ, pro Cælio, ad illud intermedium. Non semper superet illa vera & directa ratio, reliquo quæ antecedunt & sequuntur pertinent. ἐκτάσει, cùm eadem non reticentur, sed ponuntur, vt fit in ἐπιμοναῖς, iterationibus, & quibusdam perissologijs, in Piso: His ego rebus pascor, his delector, his perfruor. Similitudine, de Sen. Græcas literas senex didici, quas quidem sic auidè arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. In Vatin. Gellius nutricula seditiosorũ omnium. Dissimilitudo è suo contrario intelligitur, verùm in similibus magna ostenditur copia, cùm ἀποκριτικῶς tractantur ab aduersarijs, vt Æschinis de nauclero. à Demostheno repetita similitudo, & similia. Cognatione, pro Sestio: Itaque si non solùm vi interissem, sed etiam si morbo extinctus fuissem. In Offic. Vt enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, sic in animis existunt maiores varietates. Et illud: Ego tamen frugalitatem, hoc est, modestiam, & temperantiam, & cetera. Allusione, in Bruto de caussis suis loquens, quas non minùs diligenter elaboratas, etiam quam

 elucu-

elucubratas afferebamus, cùm in gremijs mimorum mentem mentumque deposuisses. Vsu, vt producere, obducere, de testibus intelligitur, λέγε, de Decretis, sic interdicere, obnuntiare vel sola intelliguntur, cremare de rogis, de morbo recreare. Abusu, cùm aliquid corrigi potest, vt, Et si hoc verbo scio reges laudari nō solere. Tempore, cùm quod nouum fuit, vetus factum est, aut nouo pro veteri vtimur, vide Fabium, ad Q. F. nihil restabat præter balnearia, & ambulationem, & auiarium, pertinetq́. hæc ratio ad abusum, vel quandam ὀνοματοποίησιν. Ἰδιότης ad distinctionem refertur, nec ineptè redundat, vt in Piso. Quis vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri non perhorrescat? Obscuritate, vel allegoria: vellē Idibus Martijs ad cœnam inuitasses, Curioni nostro tribunatus conglaciat. Ἀντιθεσία, & relatione contrariorum vis quoque, & copia nascitur, in Vati. scilicet, aspera mea natura, difficilis aditus, grauis vultus, superba respōsa, insolens vita: nemo humanitatem meam, nemo cōsuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat, cuius desiderio vt hæc minima dicam, forum mæstum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt. Solitario tum copulato, ad Caß. maneo in voluntate, & quoad voles, permanebo.

nebo. Moribus Rerumpub. quando conuenire generi Reipub. verba, & sententias nouimus, nec, quæ in aristocratia grata sunt, & vsitata, vel communi imperio, ad monarchiam transferimus, quod Æschines cautè accusationi præposuit, & aliter Demosthenes, aliter Cicero dicunt, & hic variè apud Cæsarem. Translatione, quando à rebus translata significatio inuestigatur, quasi simili, vt extingui & mori, ex lucernæ oleo affuso colligitur, & excelsus, & exaggeratus animus ab aggere, circūplexus patrimonium ex thesauro, ad quē draco accubat. De metaphoris illud hîc monendum, si præsertim sint congruæ, vt de naui, & Repub. furijs, & occurrētibus iniurijs, non illico abrumpendas, sed cōtinuandas esse, vt ad Cornif. epist. Quamobrem mi Quincte, &c. Huc & ioci referuntur, vt de pantheris in Cariam decessuris, & illa de Curionis tribunatu in episto. Conformatione, pro Cœl. qui tecum semper pusio cū maiore sorore cubitauit. Nec absimilis est insolēs, sed energetica vis alicuius verbi, vt in Philip. XIII. Si posset Brutum etiam, & Caßium discruciatos necaret, eademque inhiberet supplicia nobis. Et in conuersionibus de Græcis huiusmodi in Cicerone occurrunt non pauca: ita illud, pauci lutulenta tua vitia noueramus. Etenim memoria tenes, admodum nos paucis locutionibus proprijs, & veris

abundare, vel potius tantùm esse in omnibus linguis angustiā τῶν πεφυκότων, καὶ ἰδιοσημαντικῶν, vt si quid elatum extra vulgi, & quotidianum sermonem sit, id omne μεταφυσικὸν καὶ πεπλασμένον sentias, ac omnia lumina, & ornamenta orationis maxima parte sint. Tradita, cōuersa, figurata, èque sedibus probationum constituta (licet quidam sit proprius ornatus, & succus orationis, atq. color singulorum ferè articulorū, qui nō solùm in toto spectatur corpore): iccirco trāslatorum fictorumque rationē non vulgarē, & vsus præsertim habendā iudicio, vt nostra quoq. discreta, tēperata, & vbique cōuenienter similia sint. facilis in similibus lapsus est, et in quo maximum ornamentū sermonis ponitur, si nimia sint, tædiū, & vitiū contrahūt, quòd disertè Arist. & de Orat. M. Tull. de translatorum immoderato vsu, & in ænigmata cōmutatione significarūt. Hos ego moles, & si qui sunt affines, in analysi, & cumulatione verborū, formisq. locutionū adhiberi velim: monēdi enim hæc gratia tantū, non integrè declarandi adduxi, & quædā horum ad pauciora, quædam etiam ampliora pertinent, nec de vocabulis eorum, si mutaris, contendam χρεία γὰρ προθυμίαν συμβάλλεται: in quibus si capita etiam generum, & indices requiris, aliquot viæ inueniri eorū præponendorum, libellosque digerendi, & ordinādi possunt.

sunt. Cui commodum fuerit, poterit tria genera dicendi, vna cum formis singulorū adiectis, & partes orationis cum proprietatibus seponere, atque legēdo ad quēque locum, natiua fictaque deportare, eaque serie facultatē sumēdi εὐπορίαν, λήψωσιν sibi cōficere. Magno iudicio quidam per decem rerum summa genera, & seriem, vt res, personas, caussas, accidentia suis formis dicēdi, figuris, vocibusque distinctè digererentur monuerunt: sed diligētiam rudem excedit, & cauto præmonstratore opus esset, vt si auctorem probe quid velit, & quo modo quidque dicat intellexerim, nō minor cura collocandi, & resoluendi postea relinquatur. Qui tamē ratione, & aliquo vsu progressus est, periculū faciet. Vbiq. tamen, vt significaui segregata sint natiua, aperta, propria, significantia, plena, sonora, nouata, obsoleta, peregrina, prisca, trāslata, inusitata, & quæ ad superiora duo capita ferè cōcurrūt, τὰ πεφυκότα, καὶ πεπλασμένα. Quibus autem modis, & præsidio id efficiemus, iam indicaui. Ceterùm si idem ordine literarum tractes, exercitati & maiora sperantis iudicij non est: vestigia enim locorum, & caussarum, vndique quid depromtum est, adiuncta, nos significationis, & vsus recti monebunt, ne tenuia inflatè, grauia subtiliter, aperta obscurè, natiūa fictè proferamus, instruent. Nec infima particularum solici-

solicitudo per omnia fuerit: nam vix duæ potestate idem, & loco sunt, & vsus adeò absconditus, vt diu multumque in his rebus versatis negotium facessant. Est enim Vallæ liber in omnium manibus, sed grammaticæ magis sunt obseruationes, quàm oratoriæ, & crebrò mendosæ. Valde in existimãdis verbis, & formulis loquendi nos illa Ciceronis, quæ in Partitionibus est ratio iuuabit, qua contrahenda multa ad idem verbum, aut dilatandã orationem, & explicandam cognato, quo verbũ est, sensu iuuabit. Vbi enim quis significatiõis ortus, & caussæ sit, percepimus, facilè reliquorum, quæ vis & sententia sit, collocatioque discemus. Vt illud præter innumera passim alia in quinto Paradoxo quanta varietate ἐνεργετικῶς, atque copia legitur: Cui mulier imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur: qui nihil imperanti negare potest, nihil audet, poscit, dandum est, vocat, veniendum, eijcit, abeundum, minatur, extimescendum: & paulo ante similiter tractatio mirifica & copiosa fuit descriptione facta, nisi sapientem liberum esse neminem. Contractionis exemplum idem esse potest, si quod initio positum, tanquam πρότασις fuit, postremò tantùm ponatur. Vt in priore horum exemplo fecit: illud breui cõficiendum est, nisi qui ita est affectus, esse liberum neminẽ. Sed obseruandum erit, vt

vt obiter id moneam, in ista contractione, & dilatatione quædam ne sua cognatione imponant. Etenim interdum vox quæ ita extenditur, pluribus propria est, & vniuersa reliquorum, perinde ac genus quoddam: interdum nullam cum sequentibus communitatem habet, & rerũ potius, quàm significationum sunt: quod vt melius intelligas, afferam vtriusque exemplũ de Oratione omnibus familiari pro M. Marcel. Si enim legas illud: quæ quidem quæ miretur iam pridẽ habet, nunc etiam quæ laudet, expectat. Hîc ad ipsam admirationem sequentia hæc referuntur: obstupescent posteri, &cet. at paulò post cùm ait: diuersæ voluntates ciuium fuerunt, &c. ad subiectum infra nomen significatione, ipsam dissensionem pertinent. Et illa: perfuncta est Respub. de æquitatis natura, & vi exorta sunt. Et plenus in expolitionibus, & immorationibus huiusmodi exemplorum est Cicero, nec vllus in hoc labor enitenti subterfugiendus, omnesque molestiæ tanti præmij ergò deuorandæ: nõ enim desidia Ciceronem exhauriemus, qui summæ diligentiæ inexhaustus est, quòd si συνθήκης quoque rationes exquiras, alia nõ modo forma narrationum in cõtrarijs orationibus, sed quoque verborum cõtentio varia conspicietur, alia verba κατὰ κόμματα, alia κατὰ κῶλα & πνεύμασι περιβεβλημένη διήγησις exhibebit, alia

alia partes alias orationis artisque Rhetorices doctrina suggeret. GEORG. Ergò ad hanc quoque partem, & adminiculum imitationis Rhetorum præceptiones afferendæ sunt, præsertim quæ de elocutionis modis, ac figuris docentur. SAMB. Omnino necessaria sunt, ac velim fictorum exemplo ageremus, qui antequā è luto, aut alia materia figurā effingunt, ita cōportando ipsam informāt, vt statim vbi caput, pes, manus sint futuræ, appareat, antequā proprijs, & exactis regulis opus expoliant suū. Vnde nō modò quæ in triuijs decātata sunt, sed etiā quæ Hermogenes, Phalereus, & alij subtilius partiti sunt, cognoscēda: nihil enim tam amplū, nihil tā tenue, & neglectū est, quin copiosa in Cicerone singulorū exēpla offendantur: nec vlla cura in eo penitus intuendo, & dissoluendo immodica suscipietur. Nec audiendi quidam inepti, qui multa nos inuestigare in Cicerone sine caussa, eoque minimè conscio nugātur: quos patiamur quidem cum Crasso pullos suos excludere in nido, qui euolent clamatores odiosi, ac molesti, Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem, tanquam pueriles, & vanas delicias depingere: qui artis cupiditate incensi sunt, legant de Poëtica Aristo. legant Rhetoricam, Phalereum, Halicarnasseum de Thucididis historia, & qui hi extra rem, atque artem maxi-

mi

mi viri consectētur, quid ipse Tullius de suis exemplis iudicet, explorent: ignorantiam propriā detestabūtur, tantū vbique ingenij lucere, atque industriæ consignabunt. Fateor nō semper cū aliquid locutus est, aut scripsit, secum regulas illas suas quibus initio progrediebatur, & insistebat, donec firmè consisteret, memoria Ciceronē repetiuisse: nō tamen ab arte remotè quidquā fecit. Cùm Poëtæ suos versus pāgunt, num de syllabarum & pedū ratione cogitāt? Nos cùm Latinè loquimur, an solicitudo nobis, aut dubitatio de Grāmaticis occurrit? & tamē prius quā vsu illa cōtriuimus, pueris de singulis cura ingerebatur. Tot exēplis, & caussis illustribus Cicero suū stylū ita cōpararat, & roborarat, vt sæpè nihil cogitāti, pæne integri heroi, quos fugiebat, plurimi senarij, concinnitudines certè vel non quæsitæ exciderint, atque semper ille γεωμετρῶν certis legibus, & numeris sua instituit, licet vt in Phædone Plato animam non concedit esse tantùm harmoniam quandam: ita nec nos orationem Ciceronis modò numerosam esse volumus, sed sapientem, tempestiuam, omnibus modis congruam, & circunstantijs definitā. Putas periodū illam dicolō in Ligariana ἀντιθεσία, numero syllabarū vtrinque pari, & finibus maximè aptam, et suauē eum considerasse? Nam profectio habuit voluntatem

non

non turpem, remāsio etiam necessitatem honestam. Aut illam sub finem. pro L. Mani. ἀντιστροφὴν cōparem, & conduplicatam? Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit: ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse videtur? Non igitur necessarium est, vt Demosthenes, aut Cicero quæ initio exercitationis magno labore venabantur, postea in vsum facilem adduxerunt, scripturi seriò, ac maiora denique ea cogitatione quærere, ac repetere debuerint: & quis artem, etiamsi in homine sit, cogitare, ac deliberare Philosophus dicat? Vbi multa ἰσοδυναμοῦντα congregantur, valdè opus iudicio est. Nam vt parata in illis verborum copia, certaque latet, ita differentiæ, quia æquipollere videntur, non contemnendæ: immo nusquam citius aberratur, quàm in frequentatione huiusmodi vel ordine, vel natura cuiusque non intellecta. In quo errorem etiam cauebimus illorum, qui naturæ & perpetuum significationum ordinem, atque incrementa sequentia Tullio attribuunt, orationem nunquam decrescere, aut æquam, sed rebus, & verbis, serieque semper augeri. Nec id interpretari velim, quasi Cicero non intellexerit, aut confusè neglexerit: sed quia interim opus nō fuerit illa accuratione, aut fortasse à corruptoribus, & librarijs nō consideratis fuere turbata. Et si enim structura Cice-

ronis

roni familiaris, totaque disciplina numerorum id possit indicare: quia tamen non semper idem in omnibus argumentis est Cicero, & negligentia in abiectis, & minimis artem in grauioribus, ac diligentiam sæpe commendat: huius trāspositionis passim exempla leguntur. Pro Sestio: euersa, & afflicta, cùm alibi affligi regia conditio, non tamen prorsus euerti videbatur. Ad Attic. meum factum abs te probari triumpho, & gaudeo, & pro Cluen. quoque dixit triumphans gaudeo, sed illud sequi ad gaudium solet, pro Deiot. perspecta, & cognita. Pro Quin. Mihi per summam iniuriam omnia sunt in mica, & infesta. Ad Atti. Gallia, quam sibi armis animisque infestam, inimicamque cognouit. Hac ratione aberrauit is, qui in Maniliana tētare minùs, quàm lacessere significat, cur non id potius de (repressit ac retardauit) docuit? minus intellexit, cùm & tum in eadem præposterè posita, quæ auctorem, & tutorē maius, quàm quòd defenditur, ibi caussæ inseruiens putauit. Sed nec illud obseruatio, & sta vulgaris ad hanc laudem præparat io ignorabit, sæpe in integra aliqua locutione, ad idem plura nomina consequi, continenterque adiungi, quæ singulariter non copularetur, vt, omnium huius neruorum, ac laborum fructus accipiet. pro Mani. est C. Curius summis beneficijs vestris, maximisque re-

bus

bus gestis, summo ingenio, & prudentia præditus, certè cùm (præditus) antecedentia sola durius conuenirent, sed fiunt simul bona vt in comprehensionibus quibusdam productis, cùm vnum atque alterum incisum propter plura, & vera membra pro colis numerãtur. Ita illud: Istam inquam dexteram, non tam in bellis, & prælijs, quàm in promissis, & fide firmiorẽ. Atque in coaceruationibus ad idem verbum exempla solent apparere, siue vt Grammatici appellant ζεύγμασιν. Quædam iuncta, non aliò relata conueniunt. vt: damnum nobis non alijs facimus, alijs non nobis damus. Verbis enim significatione vicinis, nomina quoque affinia, non tamen sine dissimilitudine adduntur. Nam spernimus voluptates, cõtemnimus honores, socios spoliamus, expilamus ærarium, fraudamus amicos, decipimus vulgò, ingenio inuenimus, & perficimus, industria elaboramus, atque cùm in senatu sumus, de aliquo disserimus, apud populum verò dicimus, ita vsus est diuitiarum, opum cultus, laus honorum, voluptatum gaudium, vt dolore careas valetudinis. Quædam Cicero perpetuò ferè custodit, vt perficit, & absoluit, perfecta, & absoluta, infesto, inimicoque animo, inimica infestaque sunt omnia. Neque translata, aut facta sunt dicenda cuncta, quæ aliunde substituta videmus, quod nobis

nobis sæpè imponit: nam & propria proprijs permutantur etiam apud Poëtas ornandi caussa, vt illud olim: mollitur mare: nec factum est: mare saxifragis vndis. Vbi Cicero libertatem sibi nimiam, & impotẽtius affectè sumit videndũ: translatis, et alijs quoque, si morbo caremus, parcè, animoq́. constituto abutamur, affectus enim interdum insolẽtiores nos reddũt, vt, nũquã te in tot flagitia ingurgitasses, & quid? homini teterrimo, crudelissimo, & quæ ibi sequuntur, et pro Dom. vix notatior propter (notatissimus) dicerẽ, licet ad Herẽ. quibusdam legatur: nec propter (infantius) infantior. Est quoq. notandũ vbi cũ dubitatione, aut προεπιπλήξει verbũ apponitur, vel ἐπιδιορθώσει, ne prorsus cũ correcto eiusdẽ potestatis cẽseamus. Secundo Acad. extremitatẽ, & quasi libramentũ, in quo nulla omnino crassitudo sit. Non enim qui intelligit Ciceronẽ, cùm superficiem dicere volet, absque pari præmonitione, libramentum reponet: nec luculentum patronum statim dicet, quòd luculentum patrimonium in Philippicis legerit. Nec rarò quidã à Cicerone aberrarunt, qui cũ perpetua coniectura eũ cum Græcis conferunt, vbi id verisimiliter factum arbitrantur, affirmanter posteà, sine dubitatione, scribendo assumũt. Quis non rideret, si quod de proœmio Græci tradunt, vt sit προσεχὲς, καὶ προσφυὲς τῇ διηγήσει

 atque

atque illud ex visceribus caussæ sumendū de Orat. dicitur, quispiam τὰ συνεχῆ, καὶ προσφυῆ Latinè viscera verteret? aut cùm illud Arati vertit: ἡμεῖς δ᾽ ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμούς: mox κρήνην latices frigidos ἱεροὺς autem fumantes extra huiusmodi locum significare affirmarit? aliud est enim appendere sententiam, & verba, aliud propriū: exēpla vulgò in promtu sunt, idemque de Poëtarum Græcorum cum Latinis συγκρίσει statuēdum. Non enim quæ Virgilius, & alij de Græcis transportarunt, omnia verbis, & sententia eadem exprimere conati sunt, sed occultasse, & liberius sua complurima fecisse quis ignorat? Et si quis recto hoc instrumento conferendi vtatur, reperiet denique aliud, quàm nudas cōiecturaque factas interpretationes, veros scilicet imitādi modos. Monui quoque eos minimè cum Cicerone scribere, sed imitationis cōmendationē euertere, qui quibusdam apud eum verbis, ac nominibus inuentis, quasuis statim flexiones, & casus accommodant. Quædam enim tantā in certis modis, aut temporibus, & casibus vsui conueniūt, nec leuiter speciebus dicā, pro formis, à perfero (pro patior) perlaturus, à fugo fugaturus, sed in fugam conuersurus. Sed nec illico quia participia quædam occurrunt, in verba irruam, cuiusmodi sunt: desperanda, vlciscenda, desperata, & cet. patiendi enim

sensum habent, non tamen desperor, vlciscor παθητικῶς vsurparem: licet huc de gerundijs, & gerundiuis Vallæ disputatio non parum cōferat. Ita ceruicem singulari casu Hortensius dixit primus, sic à reo reatum Messala. Non aliter de comparationibus Grammaticorum hæc sunt accipienda: vt quia inuitius legitur de Orato. parce inuitior, & à notatissimus notatior, & si Bembus rectè legit, à multissimus, plurior, à conficientissimus pro Flacco, conficientior non auderem ponere. Etenim si quod Demosthenes, vel Cicero verbum vel compositione, vel significatione durius semel vsurpant, non ea superstitione ducemur, vt similia fingamus, vel ea frequentemus: magnis enim illi bonis, & virtutibus alijs hanc licentiam assequebantur, vt si Socrates, aut Chrysippus aliquid contra consuetudinem admisissent, non licuisset idē omnibus, vt est. 1. Offici. & si pauca sunt, quæ offensionem habeāt. Huic non dissimile est, quod interdum idem nomen actionē, & patiendi vim obtinet, quæ licet tenuia sint, tamē labi rudes video. Etenim illud, omnē adeundi, & conueniendi eius indignitatem, & molestiam pertulissem (hoc est quam me indignū ratus est) differt ab hoc: ne qua ex tua summa indignitate illius dignitati labes aspergatur: nec igitur omnibus substātiam notantibus attributè, seu concretè vterer. Nam, cùm

lorica ambulamus, descendimus in campum latæ, insigniq́ue lorica, vix tamen loricati: & si penulatum Milonem dixit, vt impedimentum maius vi verbi exprimeret. Ita Musicam dicimus, piraticam an poßis, dubitatū fuit. In collocatis quædam sunt, quæ singula rarißima sunt. Timeo dicimus, nunquam pertimeo, timesco minùs, frequens pertimesco, itemq́ue de perhorresco, & perhorreo, consopio, & sopio sentiēdum. & cubui dixit Cicero, cumbo nemo absque præpositione. Neque verò Cicero quas vtcunque interdum voces definit, ac inter se diuidit, præsertim in Philosophicis, aut Rhetoricis sermonibus, cùm propriè loqui vult, eadem religione significationis vbique continetur. Et quibusdam non vtitur extra ordinem, nam insipientiam, insanitatem, morbosos alibi non ita posuit, sed distinctus est etiam in cognatis. Vellem scienter quæ Græca sunt potius, quàm Latina seponeres, vt quid commune aliorum, quid proprium sit, in prōtu haberes, cumq́ue vsus exigit, inspiceres vtro Latino, an Græco libentius vti M.T. voluerit. Nec Viuem alioqui maximo iudicio virum sequendum puto, qui suos illos Dialogos Græcis, quæ circuitione non longa eleganter nominari potuissent, refersit: cur non ita Latinam tota Græca poßis commutare? Cur Cicero in Latino se

Græcè nolle loqui ait? Conuiuium nónne est melius quàm compotatio, concœnatio? licet quædam sint Græcis, & Latinis eadem amplitudine communia, vt telum βέλος, quorum si Græcum circunscriptam significationem magis recipiat, quàm Latinum Græcum præferrem. Vt quia telum quod arcu expeditur, communius est, quàm τόξευμα, hoc anteponerem. Nisi quædā ἐτύμῳ, vel compositione omnino consentiant, & à Latinis manasse videātur, vt σημαιοφόρους Polybius signiferos dixit, συναίμους Themistius in oratione consanguineos, ὄψον de Persis, id quod ad panē adhibetur Cicero vertit: ἀξίωμα pronuntiatū cū venia, cōpunctum notis threicijs significās stigmaticos, & cū à Latino abhorremus, aliquantulum, vt καρδιοφύλακα malo thoracem, quàm cordituum vocare. Longè verò insolentißimè faceret, qui Latina Græcis leuioribus commutaret, atque inde multæ mendæ, propter Græcos in historias Romanas inciderunt, qui ineptè nomina clarorū virorū Græcè maleq́. trāscripserūt: lōgè iniquius conatur non insulsi, iam Latinorū etiam nomina è Græcis emendare. Quædam circuitione vsum habent, aut verbo tantum vel nomine, quæ non leuiter commutanda sunt, vt in episto. cùm ieiunus fuissem, non, ieiunassem, nec inde ieiunium formarem, dixit tamen ieiunitatē alia ra-

ratione, ita febrem habere dixit non febrire, aut febricitare. Custodiendum etiam, in illis ἀναλήψεσιν elegantißimis substantiuorum, per attributa non eadem referri semper, præcipuè si desint, aut minùs increbuerunt, vt pro Q. Liga. cupiditatem, odium, pertinaciam, &c. post, fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces. odio iratum opposuit: neque contraria eiusdem verbi vbique opponuntur, in episto. Nos disiecta manu pares aduersarijs esse non possumus, contractis autem nostris copijs, &c. ausus est substituere. Externa bella nō interna dicis. Haud semel quædam Poëtarum fragmenta transcripta vel expressa in contextum irrepserunt, & sæpè ex aliorum sententia Cicero loquitur, aut interpretatur, vt in Verrem illud ἐδικώθησαν, & in Tusculana: maiores nostri iracundos solos morbosos nominarunt, quæ vt internoscas commonefacio: nam in vsum nostrum valere oportere, nisi eodē modo, non arbitror. Neque minus aduerte, in epistolis quibusdam, & alibi, prouerbijs, & ἐλλειπτικοῖς orationibus eum delectari: quorum singulæ voces in expositis, suspectæ esse debent. Quædam leges noua, quæ postea vsu mollita sine licentia repetuntur à Cicerone, vt fauor, vrbanus. Tu igitur hæc sine dubitatione pones. singula quoque ἀμφοτέρωθεν significantia notes, vt infractus, inuisus, inædifico, infucatus, indictus,

ctus, ne decipiare: licet Cicero ambiguis his sensum libenter adijcit: vt in Verr. Etenim tacitæ magis, & occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quàm indictæ, & apertæ. Et postquam abijt: non modò infracto erat animo, sed etiam confirmato, & renouato. Soliciti quoque animi & iocundi est, colligere ea, quibus Cicero Latinitatem auxit, vicinitate in primis significationum, vt, si quod Plato de humorum influxu dixerit, noster ad cantum retulerit. IIII. de Repub. οὐδὲ γὰρ ἐργάζεται ἔφη ἄλλο γε ἢ κατὰ μικρὸν εἰσοικισαμένη ἡμέρα ὑποῤῥεῖ πρὸς τὰ ἤθη τε καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα. Cicero II. de Legibus. Aßentior enim Platoni, nihil tam facilè in animos teneros, atque molles influere, quàm varios canendi sonos. In Lælio. vt suo, & proprio eadem ratione vtitur. Quibus blanditijs C. Pup. Consul nuper influebat in aures concionis, &c. Quod Æschylus dixit: γῆρας οὐκ ἐστὶ μιάσματος, nōster similiter carere senio opus dixit: vnde apud Pinda. ἀγήρατον κλεὸς. & illud ex Ethicis: ἡ ἡδονὴ τὸν νοῦν ἐξίστησι, in Parad. I. mentem ex sua sede, & statu dimouet, & in Cato. omne animi lumē extinguit, vertit: quo Hellenismi quoque varij accedunt, vt quidquid mihi susceptum est in hac caussa, & in episto. ad App. cū aditum esset ad me ab ijs, qui &cet. de quibus copiosè Linacer collegit. Insistendum cogitatione cur aliquando consecutio

variata sit, estque insolens. In Catil. nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tẽpore. Pro Cæ. temeritati, & mẽdacio conscios dixit, ad Heren. rei familiaris te infrequẽtem dedisti. Quædã translata sunt adeò euidẽter, & expressè, significanterque cum rebus, quorum caussa fiunt, vt simul nata, & propria videantur: quibus ad cognata, & similia cautè traducemur. Quid enim æqualitati fraternæ, vel germanitati vicinius amicitia, & tamen cõsensum conspirantem, & pæne conflatum de hac non dicerem: & : nunquã in tot flagitia ingurgitasses, ad vitia nõ referrem. Quæ in expolitionibus reperiuntur, differunt aliquantum ab ἑρμηνειά: quod ille ornatus, & arbitrij sint, hæc necessaria, & caussam sæpe complectatur. Estque ἑρμήνεια sine προτάσει, διασκευὴ autem ferè semper cũ ea iungitur, vt in Cato. Ego vestros patres, etc. vsque ad: modo atque cõstantia, Nam propositionẽ interpretatio αἰτιολογικὴ sequitur, hãc rursum expolitio. Atque cũ quid obscurius in narrãdo est dictũ, ἑρμήνεια & ἐπεξήγησις cõuenit, διασκευὴ minus. Plurima itẽ in Cicerone se offerunt lõgè, lateque fusa de eisdem, et diuersis: quorum singula interdũ quia nõ satis percipiuntur, Tullius συλλογὴν ad ἀνάμνησιν, & quoque διάκρισιν eadem comprehensione σαφηνείας ἕνεκα facit, vt in II. Verri, antegressa variè, & spar

sa

sa imbecillius, postremò ita coëgit cõglobata confertimque. Quare si Glabrionis patris vim, & acrimoniã ceperis ad resistendũ hominibus audacissimis, si aui Scæuolæ prudentiã ad prospiciendas insidias, quæ tuæ atq. horũ familiæ cõparãtur, si soceri Scauri constantiã, vt ne quis te de vera, & certa possit sentẽtia dimouere, intelliget pop. Rom. integerrimo atque honestissimo Prætore, delectoque consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuisse momẽti ad suspicionẽ criminis, quàm ad rationẽ salutis. Etsi enim huiusmodi loca figurarũ sunt, tamen sedes sunt optimorum verborum, & formarum dicendi claram notionem, & sententiarum præbent. Artis, & disputationũ proprijs verbis, inepti quidam libenter abutuntur, sed eos ne imiteris. Etiam illud adiungo, in epistol. ad Atticum, præpositionũ, & aliarum particularum vsum esse liberiorem, & minùs alioqui vel significatione, vel collocatione ab eo receptũ. Nihil in omni oratione vsu vberius, ornatius, specie atque varietate artificij elucet, quàm illæ ἀντιθέσεις, sigillatim, & cumulatè factæ nominibus & rebus, quam rationem περὶ εὑρέσεως Hermogen. ostendit, & in II. laudat. Isocratem. Atque in thesibus quoque copia, & ornatus maior, quã cõsequẽtibus rationẽ et hypotheticis cõspicitur. Atq. multæ aliæ cautiones nõ captiões in hãc primã

operam

operam codicillorum describendorum, verborum & locutionum colligendarū afferri, & obseruari possunt, his tamen non mediocriter iuuabere, & multa vsus & lectio docebunt. Nunc, si libet, ad occultam illam disciplinam, in qua imitatio maximè elucet, sermonem transferamus. In qua proponēda, si breuitate non omnia consequar: veram tamen, qui indole ad dicendum præstas egregia, intelliges, & adhibendam etiam in leuissimis putabis: qui id negligunt, aut ignorant, lōgè à pulcerrima laude aberrasse credes. Nihil enim, vt Crassus verè ait, studia prosunt perueniendi aliquò, nisi illud quod eo, quo intendis, ferat deducatque cognoris. Exempla domi, & priuatim suppeditabūt, quæ primum in ipso Cicerone, qui secū his modis contendit, spectabimus, deinde in præstantissimorum aliquot nostri sæculi virorum factis eadem repetemus, pariterque nostra moderabimur. GEORG. Quæ tu exēpla in tuum vsum collecta ostendisti, & aliquando auctiora publicè ostendes, non dubium habeo, quin declaratura satis sint, quæ nunc dicere instituisti. SAMB. Aliquoties mihi de omni hac imitatione cogitanti, & quid cum ipsa conferri ad explicationem possit, nihil congruere, quodque satisfaciat inueni, quàm de furto Mercurij fabulam ab ipso Homero, vt Thucydides eius versibus in III. adductis testatur, &

alijs

alijs expositam: licet interpretes ad cæli contemplationem referant. GEORG. Nescio quî id probaris, negabas nos aliorum possessionibus ad hoc studium niti posse, quique illud ingressi sunt, eos ridebas. SAMB. Nunquam in eam sententiam illa fuere à me adducta, si enim alterius clientelam sequimur, difficilè fuerit citra huiusmodi patrociniū, ac necessitudinem nos, nostraque tueri: vt igitur clientes non patroni videamur, ita illius beneficentia, & liberalitate vtemur, vt ne iniustè, & ingratè ad nos transferamus omnia, nec appareat cūcta esse aliena: gratia penes dominum, & beneficiorū origo, & fons vt sit, reconditè prouidēdum. GEORG. Quoniam ita conuenire eam fabulam tuo instituto affirmas, vt à similitudine rem ab hinc facilius habeam, quæso, eam κατὰ παραβολὴν, καὶ ἀλληγορίαν recita. SAMB. Faciam. Antequam animū ad furtum carniū induxerat Mercurius, testudinem casu inuentam, & mirabiliter ad artem, et sonum à se formatam & instructam, domū asportarat: mox ad furtum boum incumbit, ac vestigijs retro vicissim ductis, ijsque in puluere scopulis obductis, εἰς αὔλιον bubile, facinus ne deprehendatur, abducit. Loto roranteque cypero pascebat: paulo post igni è lauro excitato, veru infixos in vsum torrebat. Quæ figmenta imitatori ita sunt accipienda. Ἀργιφόντην,

seu

seu imitatorē non ignauum, sed vigilē, & ad quosuis labores idoneū esse debere, qui ἄλλο, κατὰ σκοπιὴν. Qui chelyn initio quidē rudem, ingratā visam, sed artificio cognitā, et elaboratam, ipsum Ciceronē imitandi exēplar reperit: ea tamen cognitione minimè cōtentus, καὶ τὰ μὲν ἤειδε, τὰ δ' φρεσὶν ἄλλα μενοίνα. quid autē id fuit? ὁδ' ἄρα κρεῶν ἐρατίζων. Itaque boū auidus, cultæque imitationis, et eloquētiæ sapiētis, quæ carnem, sanguinē, & neruos quoq. habet, tectus: nocte perpetuisque vigilijs per αἴθραν sola, & spatiosa loca, totum nimirū Ciceronē amplissimū legere molietur, & euoluet, eumque sibi per δολιχὴν ὁδὸν, non ὁδοιπορίην communem, & apertam viam adiungere studebit, vestigia enim reuersa, & in puluere ἀγκάλῳ μυρίκων, καὶ μυρσίνοειδέσιν ὄζοις, varijs artibus, & modis obscurabit, minimeque conspicienda relinquet: vbi voluntas, & labor, vbi ratio cognita furti latentis à cupido imitatore fuerit, rem ipsam tādem aggressus ἐπιμαίετο τέχνην πυρὸς, lucem ingenij excitabit, beneficio Apollinis, cui laurus consecrata est, atque in opere ita versabitur suo, vt eo igni torreat armenta, comedat, inque succum suum, & naturam furta, ne aliena repetantur, conuertat: id enim est quod γέροντα monet, vt quæ illius non intersint, neque nocent, in eis cæcutiat, & surdaster sit, vel potius qui tardi ingenio sunt,

sunt, aut segnes, nec fructum suorum laborum vnquam consequentur, alios ne impediant, neque iudicent, spemque laborum iuuenibus, & cupidis eripiant, ait enim, καί τι ἰδὼν εἶναι μὴ ἰδὼν, καὶ κωφὸς ἀκούσας, καὶ σιγᾶν ὅτε μήτε καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ. Sanè si singulas fabulæ partes aliter interpretando, examinare velim, plurima cum imitandi ista insigni arte congruerent: sed summam tantùm attigi, tu reliqua inspicies, & considerabis. GEORG. Immo verò vt summam eam repetas, oro. SAMB. Qui hac facultate præcipuum nomen, ac stylum obtinere cupit, Mercurius sit, id est, septem artiū liberalium filius, cui ob vigilias gallus sacer adijcitur, quod sit ab omni otio alienus, in Cicerone suauissima, & artificiosè fabricata lyra ita ludat, ita sæpè oblectet, vt fructum proprium sibi cōparare, hoc est carnes ipsius, velit, quo nutriat, alatque stylum suum, in eaque parte noctu, ne quispiam deprehendat, occultis vestigijs, donec in stabulum introducat, versetur, dies ac noctes cogitet, qua ratione lucem exemplis inuenire, atque præbere possit, vt furtum bene tostum, præparatumque deuoret, conficiat, & in alimentum transmutet, vt qui senes diu multumque in eadem diligentia hæserunt, significare tamē nostra facinora, et prodere nequeāt. Ceterùm

Ceterum illud quoque adijcio, loto & cypero pastos boues, hoc est, quæ optima sunt, & sana, magisque probata, nos ad imitandum sumere debere, si quæ vitia, & næui in moribus, aut verbis aliorum sint, ea declinanda. GEORG. *Valde ista cõueniunt sermonibus nostris, iam dic de intestina illa, & recondita imitatione sententiam tuam: ego ista de furto memoria tenebo, & ad artem mecum comparabo.* SAMB. *Quoniam scire, & rectè facere per caussas est progredi, rationibusque insistere, nihilq. in rebus naturæ extra illas sit, ad imitationẽ quoque pertinere videntur. Materia, & forma cõiunctißima sunt, quòd sine coitione illius nihil definitum, determinatumque fiat, conficiens tamen, & finis plus possunt, & nobiliores sunt apud Philosophos. Materia igitur imitationis tanquam* σωμάτιόν τι, *res quælibet honestæ, vtiles, quæque sapientiam habent, semper erunt, & à quouis petentur, verba ferè soli Ciceroni cum artificio, nam illud in verbis semper intelligi volo, concedemus: qui curriculum sit studiorum, in quo desudemus, & elaboremus. Efficiens ipsa est disciplina, & obseruatio imitandi: qua omnia molimur, & quem appetimus finem, & formam, aliquando diligentia cõsequimur, vnde potißima ratio in his caußis efficientis, & quæ in fine spectatur, exẽplisque similibus habetur,*

atque

atque omnes caussas ad eundem finem deducemus tam factiuas quàm paßiuas, neque cum Aristo. in III. *Physico. consentiemus, qui hæc licet, in rebus naturæ separauit, Quam vt cõmodè percipiamus, ac tractemus, non ineptè fecero, si monuero, viã nobis, & accessum velut quibusdam vestibulis ad eam esse comparandam.* GEORG. *Quibus?* SAMB. *Priusquam exemplis nostris ingeniũ periclitemur, vtile fuerit totum corpus Ciceronis legisse, eiusque ædificij velut materiam, & argumentum informatum comprehendisse, si quæ difficiliora occurrerũt, in his minimè inhærere, cursumq. impedire, sed annotata relinquere. Mox isto labore adiutus* συζητήσει *adhibita, quæ natura sit orationum, disputationum, & familiaris conscriptionis, quo genere argumentorum, & probationum apud quos vtẽdum, syllogismis an inductione. Quæ exempla & similitudines, ad veritatem, & perspicuitatem faciant, obseruabit. Tum vt similitudinẽ proximè aspiciat, differentiã facilius internoscat, orationes Ciceronis genere argumentorũ, tractationis & locutionis affines eadem opera, & tẽpore cõplectetur, si potest: de præptionibus istis cõmunibus Rhetorũ* σύγκρισιν *faciat, cognationem, dißimilitudinemque in singulis obiter deformet. Si quæ insignis, aut narratio, aut confirmatio, aut motus animi cũ externis sensibus cõue-*

ueniens euidenter, aut splendor verborum, & sententiarum fuerit, non prætereat. In quibus cum Oratorum præceptis coëant, vel dissident, in libro describet, eandemque ad Philosophica, & epistolas, industriam solerter afferet. Artificio & rerum formis magis cognatas comportabit, vbi à se dissideat Cicero, quando secum certet, vel cum alijs, aut vincat, inferior sit, quibus de caussis (nam crebrò quod aduersarius ad purgationem sui, & victoriam adduxerat, ipse idem πρὸς κατηγορίαν, quod etiam Demosthenes cum Æschine facit, inuertit) quod poterit, existimabit, vel commonstratorem habeat. deinde partes orationis, & cuiusque rei cum partibus μεταχείρησιν cum μεταχειρήσι non solùm similitudine, sed contraria ratione committet. hacq. ratione verborũ ac locutionum syluam coget, operũque formam, & proprietates mẽte, atq. cogitatione delineabit, adeoque Ciceronẽ, quẽ præesse suo itineri velit, melius cognoscet, quàm secura, quãque longa, aut breuis futura sit via prospiciet. Paulò post ne cum Cicerone omnia nata putet, sed subsidio & opera, communicationeque aliorum libenter, & cum admiratione fuisse vsum: cum Græcis eum æquè cognoscet, orationes, quantum licet, cum eorum orationibus quæ propius sententijs, & formis dicendi accedunt, itemque disputationibus,

& familiariter scriptis eadem via, & methodo, cautionibusque metietur. Conferat Philippicas Demosthenis, cum concionibus Thucydidis, & Antonianis, ipsum Liuium cum Thucydide, ac Polybio, Dialogos Ciceronis cum Socratis disputationibus: hoc enim pacto vestigia citius mutua subolfaciet, & quid assumere, quibusque modis debeat, facilè se prodet. Quòd si non simplicẽ, nec vnius generis imitationem, & tractationem Ciceronis in aliquibus locis offenderit, hoc est, si vehemens, suauis, lenis, argumentosa, copiosa, pugnax, remissa, neglecta, breuisque simul fuerit oratio: ad plures ipsius locos, & aliorum quoque exiget: quique in singulis formis multum præstiterat, accerset, Platonem, Demosth. Isocrat. Æschinem, & reliquos claros in dicẽdo magistros. Qua opera studioso eloquentiæ apparebit, Græcorũ tot partitiones, ac subtiles diuisiones non inanes, sed fructuosas esse, ac necessarias, qui rationes singularum propositionum, argumentorũ, particularum, ordinis suspiciebant. Minimè omnium tamen velim, qui huic studio benè cupiunt, ac progredi etiam diligentia nituntur, tam esse leuiter, ac ineptè credulos, qui summam artificij consistere in voculis aliquot Græcis de Latinis vtcunque factis arbitrentur, adeoque omnia pictorum vel tinctorum more colore infecta esse iactant. Si enim ad

Græcorum Oratorum explicationem artis voles breuiter commodeque afferunt, non malè fieri, quò imbecilliores illis assuefiam, iudico: sin in Latinis idem nō necessario exigant, & singula verba Græcis reddant, illud verò in laude & admiratione non pono. Nam & apud Latinos plurimæ sunt artis voces, quibus vti Hermogenes, & Aristoteles, cæterique si potuissēt, maluissent, quàm suis, & in præceptionum accommodatione vel duriusculè si Latina ad normam Græcorum effingamus, vel circuitione apta idem comprehendamus, quis vituperent. Hæc verò de nimia illa quorundam superstitione in Græcis vndique cogēdis, & passim immo vbique Latinis appendendis, non de iustis, & necessarijs doctrinæ Rhetorum terminis intelligi volo. Nam non nego magnum esse numerum præceptionum, & vocum apud Græcos, quæ Ciceroni & alijs æquè, ac Græcis exponendis adhiberi queunt, & coniungere horum cum Latinis scholam eruditum, ac iocundum existimo. Sed prima repetamus. Quando igitur formis locutionum, & optimorum verborum copia memoriam, aut codicillos ista opera compleuimus, adeoque vniuersam quandam ideam ædificij pulcerrimi Ciceronis, & aliorum vtcunque aspeximus: prima illa industria præceptorum in scholis acceptorum naturā & exempla vtcunque vidimus:

vbi

vbi pes, manus, caput, & alia nostri exempli membra futura sint, atque esse debeant, collatione annotauimus, rudemque formam nostram obiter signauimus: sequetur manus, styliqúe applicatio, ac enitendum erit, vt ad ideam illam penitus nostra faciamus, & absoluamus, nam vt Philosophi humorem nunquam aliquo calore destitutum, nec calorem humido ad generationem docuere, ita præceptiones sine stylo nihil pulcri gignunt, nec stylus absque arte sese gloriosè tuebitur. Cùm in opere fuerimus, Stoicorum de caussis doctrinā amplectemur solam, qui duas tantùm caussas, Naturā, & Deum esse docebāt, Deum esse, qui per materiam penetret, agat, & omnia, vt ignis, efficiat. Verborum materiam à Cicerone possidebimus, eumqúe etiam caussam συνεχῆ, καὶ ὁμοιοῦσον *imitationis sequemur: cuius arte, & exemplis omnia gignentur, & existent: sed tectè, vt dixi, & dissimulanter omnia conabimur,* μηδὲν ὀφθαλμοφανῶς, ἀλλὰ παρακεκαλυμμένως. *Tectum autem puto, quod nō prorsus obscuratum sit, sed arte similitudo quædam dissimilis facta sit, & idem diuersum constet. Nam si aliquod signum aut statuam de loco in locum transferas, nō mutabis, nec artem effingendi, sed vires tantùm ostētas: idem, qui integros locos mutuantur, præstare solēt, & memoriæ non ingenij, & sollertiæ vires explicant.*

cant. GEORG. Quot modis, & in quibus ea obscuratio fit. SAMB. In materia imitatio conceditur eodem, quo in verbis, & tractatione modo. Idem non meretur nomen imitationis, quòd non esset diuersum, nec simile, nec similitudo perfecti ipsa est perfectio, sed tamen fiet eis conditionibus, quas paulò post in elocutione afferemus. Demosthenes in Olynth. necessitatem, & magnitudinem belli, postea modum gerendi ostēdit: idē Cicero pro L. Man. Sed dum alter de cōtributione agit, hic personā Imperatoris substituit, ille vituperat, dū tamē laudat hic, apertè virtutes tribuit oēs, ordinē, & partes trāsponit. Expēde pestis Homericæ descriptionē, cōiunge cū Virgilij, Ouidij repetitione, quod volo, intelliges. Ipse Cicero si, quæ de pace, & insidijs à se fractis passim toties repetit, arte cōmittantur, quantus sit artifex, minimè hebeti cū admiratione, atq. vsu vario cōstabit, vt tot digressibus ad alios, nisi animi caussa, opus haud fuerit. Itaq. res nō circūscriptas, sed ab omnibus melioribus, quæcūq. animū erudire nostrū & prudentiā vtiliter iuuare possūt, stylo suscipiemus: verūtamē quo procliuius ducē sequamur eius scriptis animo, & lectione percursis, res similes, cōtrarias, affines, fictas, veras, diuersas sumemus: nā & cōtraria, et dissimilia arte similitudinē acquirēt. Nónne eundē colorē albū pluribus, & facie diuersis parie-

parietibus si inducā, siue puris, siue antea colore aliquo notatis, albedo quædā semper extabit, ex eisdē lateribus, & cemento instrumētisque aptis, & eo qui cōstruit nō imperito, nónne diuersissima ædificia instituí, & excitari possunt? Imitator Ciceronē habet, quē varijs argumētis, & locis oblinet, vt eius naturā, & ingeniū redoleant semper: nā ad rerū aliquē cōsensum, verba nō inuita sequuntur. Ita Robortellus funebrē suam de Caroli quinti obitu, ad Tusculanæ formā luculentè cōposuit, ita Sturmius ad Camerarium cōsolationem. GEORG. Si res alienas scribemus, quo modo verba Ciceronis, & artificium agnoscētur? SAMB. Nō Theologorū cōsuetudinē, aut Iuriscōsultorū imitator omnino seruabit, quibus integrū non est, minùs expedit sine auctoritate. verborūque testimonio munus suū, & caussam tueri: nos verba cōtinenter posita hîc reprehendimus, ac nostro marte, vsuque vti dissentiat, & quocunq. traducantur, volumus. Extant maximorū nostræ ætatis virorū imitandi exēpla nō incōmoda. Sadoletus Theologiā Romanè scripsit, Lōgolius itē, etsi non omnibus satisfaciunt, Sturmius aliquot epistolas, quas vel in media Roma summis Cardinalibus, & alijs admirabiles fuisse audio. Vidas de Christo, Sanazarius de partu, itemque Zanchus, nónne ostenderunt Virgilium ad quæuis iudicio, & natura

 sua

sua flecti posse? Quàm suauis & iocunda est illa de scacorum ludo imitatio, de contagione, & turpiori intemperantia Syphilus, & alia? Confer Ciceronis loca, omnibus illis modis secum ipsum contendisse, & similia dißimiliter affinia remotè, amplißima breuiter, quæ paucis expediri poterāt, copiosißimè, inque velut nouas cerā formas inducere conatum senties, vt quæ paulò ante argutè cōfecerat, laxius includat, remißius repetat, quæ in exordio excusatio, & morata ἀνακευὴ poni debebat, persuasis iudicibus ad finem reijciat, immo idem ad contraria solet traducere, vt pro Deiota. quod Cæsarem exhortabatur, nisi constituta Repub. nihil profuturā victoriam: idem ad Caßium I. epist. XII. cōtra interfectores accipit. Idem diuersè facit, dum in somnio Scipionis quod de modorum concentu dicit, de omnium artium cōsensu, ac natura pæne ijsdem repetit. III. de Orat. Idem in simili visitur in oratione pro L. Manil. in qua est imago olynthiacarum. Confer eum cum Græcis diligēter, nō modò in orationibus, & de moribus, aut natura, sed cōmunibus etiam Rhetoricæ quæstionibus, illum varium Protea intelliges. Cuius rei indicia, & absoluta exempla tibi non pauca nuper monstrabam. GEORG. Scio, sed quî detorquere verba possumus, vt etiam salutariter ijs, quibus Cicero conscius non fuit, ad reli-

religionis interpretationem vti possumus? SAMB. Haud incōsideratè omnia sunt inserēda, idque est, quòd neque Longolius, nec Sadoletus probare intelligentibus suas de Deo scriptiones prorsus potuerunt. Nimium fuit, nec Apostolos, nec Abbates, nec Cardinales, dignitatibus ferè cum verbis, dūtaxat in ea potestate, inuentis, fidem, fiduciam, & alia in vsum non admisisse, cùm artis vocabula ne Cicero quidem, & in primis Latinis nondum expressa illa fugerit, qui & psephismata pro Flacco Smyrneorum dixit, & διοσουρίαν, & pullarium, & tripudium solistimum, & Euangelium ex aliorum vsu, magistros, à quibus diem produci cōtendebat, & innumera alia: nominibus enim rebus inditis cùm sit cōmodè vtendum est, & difficillimum fuerit, in cōuertendis alienis, mutua reddere: nā quis Athenei tot nautica instrumenta, aut Pollucis συλλογὴν eodem modo Latinam fecerit? Neque tamen in quibus periculum abest, quæque formari, & melius exponi queūt, noua & Barbara potius, quàm vetusta, & pura, præsertim idem, vel simile significātia vsurparim, ac Phidiā sequar, qui Dijs, hoc est melioribus effingendis exercitatus magis, quàm hominibus fuit. Cur etiam, vt istud addam, nō me Christe, vt me hercule, Dij facerēt, pro Deus det, ponas? quando illud aptè, istud Hebræorum more fiat? construere, cōpo-

nere Christi rem, pro ecclesia, constitutionem populi Christi, ac ciuitatem, societatem verbo Dei, cæloq. iunctam nunquam verebor dicere. Hæc nõne bona sunt? flagrare immortalitatis amore, tranquillitate, & otio perpetuo frui, æternitatem vita intueri, spiritum æternitate niti, & cõtineri bonorum, vita beata esse præditum, viuere iocunditate omniũ sæculorum, excitari, & ali animos præmijs diuinitatis, præteritã voluptatẽ cum ea, quæ futura est, pro nihilo ducere, maximum fructũ iocunditatẽque sapientiæ, & vitæ diuinæ aliquando percipere, iracũdiam Deum cohibuisse, atq. stultitia lapsis interuentu filij culpã remisisse, ad salutarẽ & Christianam ablui aquã, in ceremonijs homines errore duci, piè Deo, atq. castè satisfacere, castè labores nostros, integreque in religionis negotio versari, nõ opinione, sed fide colligi diuinitatẽ, neminẽ emetiri gratiã, & voluntatem Christi suis meritis posse, iustis patere expeditissimum reditũ ad cælum, vel, cursum iustis ad Deos facilẽ esse, Christi interpretis fide nostrã cõtineri salutẽ, Christi admiratione, et cõsensione vitã pẽdere nostrã, confidẽtia diuina, & persuasione gaudiũ accipere sempiternũ, liquidò cõfirmare Christũ, spẽ admittere, proijcere libertatẽ sanctissimã, offensionẽ scelere apud Deũ creare, infestã reddere salutẽ, vnius Christi morte nostrã salutem disceptare, & innu-

innumera alia, nõ in Theologia solũ, sed alijs quoq. argumẽtis. Eruditis igitur auribus, et posterorum quoq. opinioni, nõ tantũ Barbarorũ iudicio inseruiendũ est: quod si hi nõ intelligũt, aut offendi videtur, abstineãt à puris, et in honorẽ diuinũ adductis, sua conterãt: sin cessare volũt, Arist. exemplo, quia Euripũ nõ capiũt, ab eodẽ precor ipsi concipiatur, et nõ intelligendo pereãt, vna cũ eis, qui illorũ auctoritatẽ, perinde atq. grex capræ in eryngiũ morsu cõstitũt. GEOR. *De materia, & ratione argumentorũ dixisti, abscondi contrarijs, diuersis, additis, subtractis: dic iã de verborũ, omnisque elocutionis æmulatione.* SAMB. *Ea quæ in prõtu ex Cicero. habemus, aut alijs, mutabimus dilatatiõe, cõtractione, præpositione, interpositiõe, postpositione, integrarũ partiũ mẽbrorũ, incisorũ, periodorum, et omni* μεταςκευῇ, *& schematismis, simplicia coniũctè, & cõtra faciemus, genus dicẽdi, figuras, & totã* συνθήκην, *ac phrasim variabimus, vt, si quid incisè dictũ sit, mẽbratim, aut cõplexionibus, et vniuersè proferemus, partes cõprehẽsionũ, numerosq. augebimus, minuemus, mutabimus, aut similiter instruemus, & cõdiemus* μεταςκευῇ *tẽporũ, modorũ, casuũ, cõsecutionis, et similiũ, quod possumus, eruditè obtegem⁹, quæ* κατὰ τὸ καθόλου *sunt, breuiter dicta,* ἐπαγωγαῖς *cumulabim⁹, & cõtra* τὰ συνεπικοσμοῦντα *omittem⁹, et meliorẽ viã hu-*

ius

ius negotij, quàm ex συζητήσει & συγκρίσει locorū Ciceronis, nullā inuenio: qui in amplificationibus, commorationibus, eorundē in diuersis locis tractationibus πολύτροπος est, καὶ πικοιλοτεχνικώτατος. Maxima est vis in orationibus, ac propositionibus necessarijs, sed tamē quibus ad eas res quoque peruenitur non necessarijs, vt occultè quædam inuito aduersario Cicero inducat, & vniuersum statuat, vt rationes & antegressa obscurè conficiat, dissimuletque, vt breuiter arguteque incluso aduersario, laxet animos iudicum, quæ turbæ, amplitudinis rerum, aut verborum caussa adductæ, quæ ad perspicuitatem, & illustrationem pertineant, diligentissimè inuestigandum, vt, quæ ingenio instituerat obscurius, & pæne obrutè, industria, vt eminētia sint, discutiat, & ad agnoscendam similitudinem prompta efficiat. In his enim maximorum virorum sese ingenium prodit. Nam cùm inuentio argumentorum quorūcunque communis, Philosophorum, & aliorum sit, eodemque modo considerentur: tamen qui docēt, aut persuadent collocando, & contendendo aliter illis, & proprijs vtuntur. Hortor itaque studiosos, vt si quid memoria, & laude dignum imitando sibi pollicentur, quæ Aristo. in VIII. de Sedibus argumentorum περὶ κρύψεως docuit, omnibus modis, ac penitus cognoscant, non modò enim dialecticorum illa.

τάξις, καὶ ἐρωτήσεις, sed ἀντιστρόφως etiam Oratorū sunt, & maiorem dignitatem in orationibus Ciceronis, quàm ferè dialogis Platonis habent, quando quædam nō ita necessaria, & exercitationes ijsdē locis nitantur. Coniungat volo ea, quæ ad figurata προβλήματα faciunt, quorum varietas, & vsus nō vulgaris est imitationis, vt videas quæ sint τὰ κατὰ τὸ ἐναντίον, τὰ κατὰ τὸ πλάγιον, τὰ κατὰ τὴν ἔμφασιν. Quorum vtilitas, & exempla ex doctrina, licet breui Hermogenis facilè intelligēti se probabit. In primis figurarum differentia cognoscenda cupidis huius gloriæ, ac penitus introspiciēda est. Nā si quidquam est in toto Cicerone, atque elegantia varium, ac celebre, & necessarium, illud in ornatu, & vsu schematum sentitur: sine quibus, vt pictor sine coloribus, Orator nemo dicetur. Istud verò moneo, quia nominum, & ordinis de figuris maxima est differentia apud ipsum Ciceronem, atque Græcos, vt res vtilissima turbatè ferè tractetur, & à recentioribus negligentissimè tradita sit. Eruditum est, ac iocundum videre, quando genera dicendi è suis finibus, & materia transferuntur: quod sæpè fit de industria, sed non ad eūdem finem, atque effectum. Multa sunt huius rei exempla in Cicerone, sed plura in Demosthene, quibus abutendū temerè non est, ac deprehenduntur non ἐπιμοναῖς, nec continuatè,

sed in quibusdam particulis colore, vel commotione affectis. Etiam verissimum est, præsertim in sermonibus, & disputationibus, quo oratio simplicior est, atque ad sermonē quotidianum, vel epistolarum dictionē magis accedit, τὰ ἤθη Oratorū indicari maximè, ac personarum: si aliquantū ὑποκατασκευάζεσθαι, obtegi, & in molem omnia assurgere: hæc quiuis obseruare potest in dialogis, qui ex tempore fiunt, vel epistolis, quæ illis aliquantum sublimiores, ac velut partes dialogorum, amplius cumulatæ esse debent: vtrisque tamen his αἱ προσφωνήσεις, καὶ τὰ προλεγόμενα, & velut συγγράμματα, quibus τὸ χαίρειν adest, et ornatus plus continent, quod ex Ciceronis præfationibus liquidò apparet. Hi velut gradus, & similia iudicio imitatoris subijciuntur. Secundùm Ciceronē in Bēbi, Manutij, Sadoleti, & aliorum illustribus exemplis hos modos speculabimur. De Erasmo quis dubitarit, aut aliter senserit, si hoc genus studij præ tot occupationibus, et longè rebus Christianorum vtilioribus, amplexus fuisset, superaturum quamplurimos fuisse? verùm sua contētus natura, & assuefacto stylo leni, facili, sponteque fluenti, ad quæuis flexibili, et commutabili, non tam alios suo Ciceroniano abducere, quàm profligatis, & conculcatis Philosophiæ, & religionis studijs, ecclesiæque labanti vt succurrerent, ingeniosè admo-

monuit. De plerisque alijs, cæteroqui valdè doctis, qui huic studio offensionem creant, et propter naturam non commodam, imitationem infestam sibi factam putant, & quos à Cicerone arceri omnino cuperem (non secus, ac olim ab historijs seruos, quod Plinius testatur, à doctrina de moribus pueros Aristoteles) nunc taceo: tantùm dicam me quibus Deus naturam, & facultatem ad elegantiam contulit, semper admiraturum, & Ciceronem, Bembum, Manutium, Sturmium, Beroaldis, Apuleio, Politiano, Mirandulano, & similibus præpositurum, vt his fanum extruere, quàm vllum puluinar illis concedere malim, vectigalis illius & stipendiarius, quàm cum his in patria incolumis esse cuperem. Quod si iudicio se refugere imitationis conquisitionem aiunt, non opinione labi: faciant primum Similia Ciceronis, aut Demosthenis, vbi ad se postea relabentur, voluntate dissidere dicam, ac respuere ista ingenuo libero que fastidio. Atque rationibus expositis, si exempla subijcere vellē, non minùs quàm alij, & fortasse aptiora de vetustioribus Græcis & Latinis, quæ non paruo mihi, sed tamen iocundo labore constiterunt, id præstare possem: verùm ei rei proprium libellū, vbi melius digessero, et ad artē redegero, dicaui. Interea vt monui, Ciceronē percurrito, et partes insi-

insigniores, & pertractationes conferas, similitudi-
nem, dissensiones, verba selecta & formulas conqui
rito, & ad illa maiora te velut compares. Quam
ad rem fortasse, quod nunc subijciam, aliquantum
præsidij, & lucis tibi afferet. GEORG. Quid quæ-
so? SAMB. Concinna tibi librum, quem primo gene
ratim in tria officia Oratoris, inuentionem, disposi-
tionem, ac elocutionem tribuas: inuentioni omnia lo
ca probationum, & argumentorum genera, itẽ par-
tium orationis proprietates subijcies. Dispositio sex
partes suas, modosque collocandi habebit, elocutio
tria genera dicendi, seu characteres, tanquam capi-
ta præferet: quibus formas singularum partiũ, com
positionum ideas, tam in singulis, quàm cõnexis ver
bis, figurisque omnis generis, & cõmutationis conti
nebit, vt quidquid in scholis de elocutione traditur,
à Cicerone, Aristotele, Hermogene, Dionysio, Pha
lero, Lõgino, Quinctiliano, & alijs, seposita, & par-
tita certa serie appareant. Cumque ita codicem in
capita, & tabellas distinxeris, quidquid legẽdo, vel
auscultando sese obtulerit, siue necessaria fuerint,
siue insignia tantùm, siue simplex, siue ornatum, &
omnis generis exempla, proœmiorũ, narrationum,
probationum, perorationum, vnà cum forma dicen
di, methodique ex συζητήσεως occasione capta per σύγ-
κρισιν, dijudicabis, & ad suos indices deportabis.

Mox

Mox natura inuentionis, consilij, partiũ, phraseos
aliquo modo percepta, & annotata: calamo arrepto
facies periculũ in simili, dissimili, cõtrarijs, cogna-
tis, & illis rationibus abscondendi vestigia, quas
breuissimè recitaui. Vel, quòd eodem pertinet, seiun-
ge illa quæ sunt propria, et singularia generum,
caussarum, et πολιτικῶν λόγων: quæ πανηγυρικώτερα
sunt, à forensibus absint. Philosophicæ disputatio-
nes atque sermonum ratio, quæque interdum quasi
punctis, quod proposuere, efficiunt, cum dilatatis, &
conditis ne cõfundantur, epistolarum cõsuetudo, &
stylus omnia sua per tria officia Oratorum disposi-
ta, & separata habeat. Pæne eodem labore, ac mo-
do præstabis, si verba singula, & copulata exquisi-
tè, distincteque ad sex ista capita retuleris. Etenim
simplicia sunt aut propria, aut suffigurata, aut
translata, vel epithesin, aut periphrasim habentia,
aut translationem, idem locutiones cõtinent, atque
huiusmodi rationibus fit copia, stylusque ad infi-
nitam memoriam propagatur. Poteris orationes
cum epistolis, quando eisdem ferè partibus cõstant,
ad subtilem de statibus illã Hermogenis partitio-
nem resoluere, & cuique generi per sua loca μετα-
χειρήσεως, καὶ συνθέσεως verba, et phrases addere: in
quo genere quæ à Fabio in VII. de dispositione com
memorãtur, studiũ augebunt, & cogitationes tuas.

L Quod

Quod ſi inter legendum quædam obſcuriora non illicò percipias (vt: frontem ferire, hypothecas commiſſas eſſe, argentum δίχεται æſtimationem accipere, promulſides, os ferreum, Senatus conuitio nolle verberari, &c.) nõ inſiſtendum, ſed pergendum: nam facilè alia occurrent, quorũ ſignificatione illa explicabuntur. Memini me cuidã iuueni, qui iuris ciuilis cognitione vehementer delectabatur, ſed ex tot præſcriptis methodis, ſe ἀμέθοδον factũ aiebat, non diſsimile conſiliũ dediſſe. Dixi nullam meliorẽ viã ad vniuerſam, & ſimul diſtinctã immẽſi iuris comprehenſionẽ dari poſſe, quàm ſi omnia capita de ſtatibus Hermogenis in aliquo libro deſcribat, & natura cuiuſq. percepta, quæſtionibus adiectis, ibidẽq. per circũſtantias deductis, quidquid audierit, legerit in toto iure ciuili, aut aptè illis indicibus ſubſcribere poſsit, ſeſe aſſuefaciat, eodẽ in loco, & quæſtionẽ ſimiles, cõtrarias leges, atq. exẽpla deponat, quo ad verba, ſi ſuos magiſtros omninò ſequi nolit, ex eodẽ Hermog. ideas deſcribat, illiſq. octo modis ſingulas tractãdi, vel pluribus etiã formas, Cicero. legat, diſſoluat oĩa, apteq. aſſumat. Qua induſtria mirũ eſt, quantũ breui profecerit. Etſi enim difficile primò fuerit eam diuiſionẽ intelligere, difficilius quæ legebat, vel audiebat, per quæſtiões ad quod caput ſingula referri debeãt, examinare, ac in vtrãq. ſentẽtiam dila-

dilatare, quod citò concedendum aut retinendum eſt, diiudicare: quia tamen Rhetoricis ac dialecticis inſtructus erat, atque perpetuam hiſtoriam & exẽpla iuriſprudentiam eſſe didicerat: feliciter eum modum ſequebatur, conſilijſque & cauſsis informandis exornandiſque, & perorandis paulò poſt plurimũ, et ſubitò præſtabat. Oblata enim à reo cauſſa, vbi deprehendit qua quæſtione quæri & tractari negotium poſsit: de genere quærendi ſtatim genus conſtitutionis occurrebat, quo notato, & comportata legum, & exemplorum illic ſua ἀναλύσει καὶ συλλογῇ, facilè, quod ad rem faciebat, copioſeque & variè depromebat. Hæc tamen cuncta non tam paruo negotio, quàm indicantur, fiunt: ſumma tamen horum eſt, vſus, ſtyliq́ue accommodatio: quæ naturam licet rudem ſæpè erudiunt, & expoliunt. Nec abhorreat à ratione intelligendorum verborum, & coaceruandorum, quam in Cornucopijs adhibuit Perotus, vel quæ illa eſt amplior, & naturæ certior, adq́ue vſum paratior, de linguæ Italicæ fabrica, ſeu mundi inſcripta, atque à Franciſco Alumno magna cum laude per locos rerũ edita: res enim cùm verborũ ſint indices, ſui exponẽdi quoque modos innuũt, ac ipſo titulo informãt, quod verborũ ſeries rebus minùs impertitur. Difficilius Ciceronẽ in res, perſonas, actiones et accidentia diſſoluas,

 vel

vel per ſeriem prædicamentorum. Atque hæc longè breuius, quàm tu, aut ego putabam, reſque petebat de inuoluta, & cæca illa ratione, percurri: ſed multa cõprehendi, etſi exemplis vellem illuſtrare, ampliora per aliquot paginas fierent: quod me tamen aliquando facturum omninò polliceor. Neque inficior cõplurima alia poſſe ratione, atque aſsiduitate imitandi obſeruata proponi, nõ modò hæc pauca, & vulgata excogitari: ſed tamẽ termino, ac modo res hæ concludi aliquando debent, nõ infinitè tractari. Quæ enim ad finem aliquem bonum viæ nos ducunt, moderata, & circunſcripta eſſe debent, ipſe verò finis bonus ſine modo quæri poteſt, vt in ethicis docemur. Atque memineris, quod Antonius dicit, artem demõſtrare vbi ſit quod quæras, reliqua eſſe in cura, attentione animi, vigilantia, aſsiduitate, labore, & vno verbo dicã, diligẽtia. GEORG. Equidem illa capita, & formas commutationum tam in rebus, quàm verbis ſtrictim expoſuiſti: ſed ſi omnia coniungantur, & ſtylus ſtudioſus & aſsiduiſsimus accedat, non paruos his ipſis me progreſſus in Cicerone habiturum ſpero. Sed iam aliquid dic, vt nihil omittamus, de experiundi quoque rationibus, et quemadmodum ſit inſtituenda exercitatio, vt, quantum proficiam, ſcriptione videam. SAMB. ὀρθῶς γιγνωσκόμεθα ὀυ φέρει καρπὸν, ὄυτε ἐν

γεωργίᾳ, ὄυτ' ἐν ναυκληρίᾳ, ὄυτε ἐν ἀρχῇ, ἣν μήτις ἐπιμελῆται, ὡς ἂν ταῦτα περαίνηται, vt nuper audiebas in Hipparcho. Quia igitur ad finem etiam illud facit, ac Plutarchus quoque rectè dixerit: ὀυ δυνατὸν μὴ βάλλοντα ἐυστοχεῖν, vt vis, addam ex Cicerone, ac alijs quiddam, ſi iterum monuero, imitationẽ nõ in trãſcriptione ſingulorum verborum, ſed diſsimulatione, & accommodata varietate inuẽtionis, diſpoſitionis, & elocutionis verſari, eamque ad rem natura, & iudicio, diligẽtiaq. & optimo exẽplo Ciceronis opus eſſe: cùm nihil ſit difficilius, quàm quod in oratione, nõ ſecus, ac vita deceat, videre.

De exercitatione ſtyli:

Quomodo in luce dicturis, ita qui priuatos, & domeſticos labores ſuſcipiũt, omnia vti cõgruant, præcipiẽdum animo eſt. Nã in vera exercitatione, quam aliquãdo proferas, etiã conſtituendũ augere, an minuere velis, cõcitatè aliquantũ, an moderatè dicere, lætè, an ſeuerè, abũdanter, an preſsè, aſperè an leniter, magnificè, an ſubtiliter, grauiter, an vrbanè. Tùm ſi vſus exigat, quo trãſlationis genere figurarũ, cuiuſmodi ſentẽtijs, quo modo, qua collocatione ſimul, quod cupimus, effecturi ſimus, vt ille ait. Sed in primo iſto noſtro, ac tenui ludo, hæc tam ſolicita eſſe nequeũt, paulatimq. progrediendum, donec cõſuetudine celeritas, & iudiciũ pariatur. Sine vlla igitur

tur controuersia exercitatio prius capiũda est scribendo, quàm loquendo, aut cõmentando : sæpe enim subitæ illæ dictiones peruersè vt loquamur, efficiũt: at vbi stylo mora iũgitur, multa emẽdatius edũtur. Si te rudior sit, nec ita dũ in Logica, & Rhetoricis versatus, ab epistolis inchoare ipsum velim: quippe quæ formas, & simulacrum orationum quoddam, et caussarum præ se ferunt. Verũ sollicitè sunt monẽdi adolescentes, vt initio rebus familiaribus, & ex vsu petitis verba tractatioque respõdeant, nec cælũ terræ, quorundam exẽplo misceant. Materiam deligant probabilẽ, cui applicari cõdimenta, & adhiberi ornatus facilè queant: neque etiã morales, & acutas sententias primo labore, grauesque reijciant, sed ϑελικῶς illustrabunt. Licet τὰ ἠθικὰ, καὶ διανοητικὰ accurato splendore magis videantur obscurari, ac odium creare, Poëtis præsertim, quàm laudem. Atque hîc meminerint ad probabilia, & testata, quæ è Philosophia proficiscũtur, nõ oratione omninò exuberante, ac luxuriante, sed genere quodam sermonis vtendum decenti, nisi sophistarum more flores vbique, & concinnitudines captent, qui eam ob caussam difficilius, quàm Philosophi, ab Oratoribus similitudine dignoscuntur. Quòd si tamen exercitatione illa Paradoxorum Ciceronis teneantur, vt, cùm opus est, obscura, minusque in vulgus nota,

nota, sed tamen vtilia in publicum, more Satyrarum exponant, non adeò vitiosum erit. Quare à fabulis Poëtarum explicandis, & μυθολογίαις sensus aperiuntibus nemo quoque arcebit, modò ab ἀδωνάτις, καὶ κακοπλάστοις plus, quàm Poëtæ caueant. Nihil nocebit interdũ, sed præsente magistro, de vernacula sententiam, aut Græca, vel etiam Latina, sed minus pura lingua (vt Valerij pleraque, Plinij præfationem, Firmici quoque, & similiũ) proponere, atque contendere, mutare, eadem repetere alijs ac alijs modis: obscuriora vel Ciceronis, vt somnium Scipionis, &c. repræsentare, dum in Crassi errorẽ, & reprehensionem, vt meliora nostris deterioribus commutemus, ne incurramus. Huc pertinent illæ in fine Virgilij lusiones, & Epigrammata, sed ob translationes, & libertatem versibus aptiora sunt. Mallem itaque desumere à Poëtis ampliora, vt Virgilij encomium rusticum, idemque narratum à Catone de Senectute, iustitiæ, furti, & huius generis locos idoneos, scriptioni, quã Anacreõtis de Baccho tãtũ nugas, & amoribus: nisi præparare ad affectus stylum velim, quo in negotio modò nõ superant alios Poëtæ. Horũ exẽpla in Cicerone sunt nõ pauca, qui illud Arist. ex ethicis: ἡ ἡδονὴ ἐξίστησι τὸν νοῦν cũ passim de voluptatibꝰ agit, variè ampliterq́. repetit, vt exempla quoque Valerij, vt de Pythia, & Da-

Damone, de Demosthenis vitijs naturæ, & industria de Orato. recitat, deque Mithridate restituto in v. de clementia, ipse longè elegantius in Pōpeiana exposuit, atque de Furijs cōmentum quoque mirè adduxit. Quàm bellè Aphorismū circunscripsit Hippocratis (extremis morbis extrema remedia, etc.) 1. Officio? Quapropter in adeundis periculis cōsuetudo imitanda medicorum est: qui leuiter ægrotantes leuiter curant, grauioribus autē morbis, periculosas curationes, & ancipites adhibent. Sic de lib. 1. Xenoph. de Persarū victu in v. Tuscu. quos negat ad panem adhibere quicquam, præter nasturtium: φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτον μὲν ἄρτους, ὄψον δὲ κάρδαμον. De modorum, ac sonorum cōcentu figmētum in somnio Scipio. tùm ad cōsensum omnium artiū, tùm naturæ principia pæne ijsdem verbis nónne transtulit in III. de Ora? Cognatū huic studio erit, si perceptis mediocriter Græcis, interpretando se munierit: sed tamen extare laboris eiusdem exemplum optimum, ad quod initio sua examinaret, semper optarim, & à nōdum alia lingua vulgatis, abstinere: periculosè enim exercitatio in conuertendo labi potest, atque industriæ maioris est, quàm multi hodiè arbitrantur, qui nō significatione verborum, aut sensu rerum interpretationem metiuntur, sed allusionibus, & coniecturis aliunde cōceptis, & assu

tis.

tis. Vbi aliquandiu quæ quotidiana, & familiaris rerum, & verborum ex solo Cicerone tractatio sit, vel proximè, socioque Terentio adhibito, & Cæsare cognouerit: paulatim ad seria magis deducetur, ne in labris tantùm verba nascantur, & quæ modicè, ac timidè antea, subobscureque attigerat, quasi seriò euoluere, atque sibi non prorsus diffidere incipiet: quia scientia rerum, & Philosophia nihil est, nisi in forum, Rempub. & in aciem deducatur, vt Cicero ad Catonem, dum Philosophiam ad ipsum allegat, scribit. Quocirca easdem, & grauiores Philosophorum, & Poëtarum sentētias plenius exprimet: atque dinstinguere inter genera dicendi, copiam, & breuitatem, tenuia, & ampla tentabit, atque etiam de cōpositionis genere, numerisque iudicare. Quāta sit societas partium orationis, et trāspositio, caussæque μεταθέσεως existimandum, cur, quod initio debebat poni, postremò locetur, intermittatur, quæ morata in procœmio fuissent, in peroratione constituantur, cur item quædā singulas præfationes desiderent cogitatè exprimat: non leuis enim voluptas in hoc iudicio, atque imitatione inest. Comprehensionem aliquam, vel cōcinnitudinem soluet, mox aliter, atq. aliter instruet, aptabitque, & quidem eadē, vel affini, vel contraria sententia. Vt communis exempli caussa, si ex Lælio sentētiam

L v hanc,

hanc, sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse, ex eadem pagella sic varies: Amicitia nisi boni sint, sensuque moueantur eodem, mutuoque, nulla est. Quis prauos, & ab amore desertos in amicitiam coire posse dixerit? Equidem semper huius fui sententiæ, nullam, quæ casu, aut vtilitatibus necessitudo contrahitur, diuturnã esse posse. Ita sentio, qui nõ amore, similique virtutis opinionẽ consensionem summam copulant, sed imbecillitate officiorum cõmutationem spectant, dissui societatem leuiter solere. Nisi qui naturam assequuntur viuendi ducem, hoc est, conuenienter naturæ iuncti viuunt, probam amicitiam nunquam colunt. Si beneuolentia, & caritate de cunctis rebus consensus amicos non conciliat, sempiterna eius memoria nũquam erit. Nisi omninò fallor, quorum amicitia non amoris ortu, sed indigentia, vel simulatione ad beneuolentiam contendit, nunquam bona spe in posterũ prælucet. Distributione hoc modo: quorum fides, integritas, liberalitas, æquitas probatur, facilè consociare natura eos solet, vel ab opposito: In cupiditate, libidine, audacia, leuitate nulla amicitiæ est firmitas. Et millies iteratio eiusdem rei, verbis non dissimilibus ad sensum, per tot exercitationum modos fieri à quouis potest. Eadem ratione, quæ distincta colis & verbis singulis ferè sunt, in mem-

membrum vnica clausula coniici queunt, vt ex eodem loco: quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse, gauderet? Aduersas res ferè difficilè esset, sine eo, qui eas grauius etiam, quàm tu, ferret. Vel contra πρότασιν γενικὴν καὶ καθολικὴν *partitè repræsentare, vt ibidem hanc: Principio cui potest esse vita vitalis, & cet. quadripartita recitatur, atque mox collecta denuò in vnum confertur, dum partitionis summam necessitate infert. Itaque non aqua, non aëre, non igni pluribus locis vtimur, quàm amicitia. Sed ex tanta amplitudine, & infinitis variandi modis obiter hæc addita sint. Idem in Græcis præsertim Isocrate, Aristide, atque etiam Demosthene dum conuitiosè, & criminosè aliquid vrgent, deprehendas, vt per omnes dicendi modos affectos, &* σχηματικοὺς τρόπους *sua multiplicent. Nam quid deterreat studiosum in Græcis idem obseruare, atque colligere, quæ in Cicerone spectant, dum res & loca genusque sententiarum eodem iudicio, vel primo coniectura probabili ad eosdem transferũt? Quæ periclitatio verborum, & rerum copiã cũ lætitia patefaciet. Legas quæ Aphtonius, Libanius, Camerarius, Dion, Themistius, & alij de hoc toto genere primo experiundi vtiliter scripserũt, simulq. ad eos te cõparabis, qui partes velut quas-*

quasdam corpori orationis suppeditant, adeoque ad congressus facilem inuentionem orationis, sententiarumque pariunt. Aristidis quæ declamationes extant, quis Poëtarum sit rectus vsus, quæ petenda commodè ab aliis sint, vt in forum adducenda, & honorem oratorium, facilè ostendent. Nam cùm poëtis omnia sint liberiora, ne labamur, atque erremus, diligenter prouidendum: excludendi tamē non sunt, quòd & verbis non negligendis Oratori, & rebus abundant Poëtæ, atque motuum rationibus egregii sint, immo illa pedum ratio, & numerorum penitus necessaria est Oratori, qui nisi se exerceat versibus etiam pangendis, minus quod inter Poëtam, & Oratorem discrimen sit, tenebit. Quantùm putas Ciceroni lectionem Poëtarū, & ingeneratam illam ad numeros promtitudinem in perpetua oratione cōmoditatis attulisse? vt etiamsi heroas clausulas vitarit, sæpè tamen ad naturam vel in orationibus, non aliis tantùm redierit, vt pro Archia, eiiceretis, preconium patiatur. De senariis, quorum est numerus non paucus, qui se familiariter offerunt, sileo. Liuius quoque in illa vaga, & aliter interminata copia, hexametros iam à vestibulo emisit, vt: Etsi in tanta doctorum turba mea fama, &: facturus ne operæpreciū. Paraphrases cùm res intelliguntur, in Poëtarum exemplis tutius est, quàm

quàm Oratorum experiri. Orationum partes effingere separatim, non vituperatur, idēque suis proœmiis Demosthenes voluit: atque Cicero, vt est ad Atticum, ex eo volumine σύγγραμμα confecturus, solebat eligere. Narrationum discrimina eadē cum Hermogenianis colligat, longæ, vt pro Milone, & aliâs, breuissimæ, vt in XII. epist. Oppressa omnia sunt, nec habēt ducem boni, nostrique Tyrannoctoni, &c. Mediocris. V. Epistolarum, Ego te Sexti, &c. Quartum addi potest, cùm aliorū sermones vt nuntios recitamus, quod necessariò ferè incisè, & κατὰ κῶλα fit, καὶ συνδέτως: vt Bithyniæ, quæ nunc vestra prouincia est, vicos combustos esse complures: regnum Ariobarzanis, &c. & XIIII. epist. ad Fonteium. Dilatatio illa in partitionibus vnius vocis, & contractio, in distributionibus, euidentiis, cōmorationibus, ingentem bonorum verborum, & figurarum numerum adiunget, præcipuè si crescant sequentia, vt in IIII. Parado. de exule legibus Clodio. Atque vt paulò ante dixi, non parum conatus hos elegantes promouebit illa periodorū, membrorum, incisè positorum, omnisque συνθήκης ὀνομάτων variata, & subtilis frequentatio, illis duntaxat, quorum stylus se corroborauit, nec omninò deiectus, aut inglorius est: quam partē μελέτης pauci in animum, & calamum vocant suū, licet exempla

pla etiam Latina, nec mala Trapezuntius huiusce
rei, atq. Hermogenis totius interpres, suis in rheto-
ricis nobis reliquerit. Tùm nõnihil Tyro noster pro
dire audebit, & interdũ in vestibulo curiæ, Senatus,
fori sese ostẽtare, Oratores auscultare, ac, vt histrio,
dum in theatrũ se prouehit, singulas caussarũ par-
tes effingere, mutare, aliò vocare, in vtrãque defen
sionẽ flectere genus dicẽdi alterius, atque exẽplum
dißimulare, integrum aut partẽ, καὶ ὅλως ἔξω τοῦ δικα-
στηρίου προαγωνίζειν πρωτόπειρον, idque etiam in reli-
gionis, & perpetuæ salutis quæstionibus, nõ minùs
quàm Basilius, & alij suis ἀσκητικοῖς factitarunt.
Dolabella, & Hircius apud Ciceronẽ declamabant
cœnãdi eius Magistri, & olim iuuenes vel in procin
ctu verbis cõtendebant, quod de Thoãte Homerus:
ιλ.ο. ait ἐσθλὸς δ' ἐν & cet. immo publicè agere,
versari audebunt studiosi, quia semper in vmbra la
tuisse, nunquam ingenijs profuit. Adde quod lux
& recitatæ orationes, nescio quid magis diuinũque
sæpè effundũt, vt quod diu multũque intra parietes
sis meditatus, cõscripseris: tamẽ conspectus ille publi
cus, & frequens consessus occultè quiddã inspirare,
atque iuuare videatur. Demosthenes certè, vt Pha
lereus cum Eratosthene fatetur, cùm sanctißimè iu
rare voluisset, diuinitus in versus, ac numeros pro-
rupit, ac Crœsi mutum filium tẽpore necessitatis pa
tris

tris loqui cœpisse primum quis ignorat? Hæc mihi
accommodata nunc huic ætati, ac tempori obiter in
via dicta sufficiant, etsi longè plures exercendi mo-
di, ac pleniores alij restent. Tu Ciceronem, Fabium,
& alios magis otiosus leges, hisque reliqua adiun-
ges. Præcipienda enim methodus generatim est, ad
quam singula facilè sequuntur: qui enim taurum
egregiè pingit, non est periculum, ne idem in multis
quadrupedibus facere nõ poßit. De historiarum mo
dis, atque dialogorum generibus, quorum ratio in
communi minus est perspecta, & à paucißimis
recto exemplo repetita, & commendata, aliâs, cùm
seuerius de his disputatio nobis erit. Atq. si nihil
est amplius, quod in his rusticanis locis, ac vitibus
dicatis ex me quæras, finẽ respõdendi facio, quòd sol
iã se subducat, atq. inter vallũ ab vrbe, ad reditum
nos vocare, cœnamq. videtur, si cum Quinctiliano
denuò & sæpius dicam: imitationem nõ tantùm in
verbis esse, illuc intendenda mens, quantùm fue-
rit illis viris decoris in rebus, atque personis, quod
consilium, quæ dispositio, quum omnia etiam
quæ delectationi data videntur, ad victoriam
spectant. Quid agatur procemio, quæ ratio, &
quàm varia narrandi, quæ verè probandi, ac re-
fellendi, quanta in affectibus omnis generis mouen-
dis scientia; hæc si præuiderimus, custodiemus,

καὶ τῷ πρέποντι constituemus, atque ornabimus, tùm verè imitabimur. GEORG. Nihil amplius succurrit, ac felicem ego deambulationem hanc, relaxionemque animi, qua eruditior meos libellos reuisam, semper fatebor. Commoueamus igitur iã nos, domumque festinemus. SAMB. Ita fiat. Sed quia prodijt Manutij nostri ad Saulium nuper epistola, in qua iudicium ille suum in hac exornandæ facultatis ratione, atque sua quadã prima exercitatione subindicat: eam partem epistolæ libẽter ad finem addam, in qua iudicium non requires, &, si velit sigillatim consilij, & cogitationis suæ partes aperire, facilè eloquẽtia potiri, cuius studio quisque non sordido ingenij tenetur, possimus. Audi igitur eius verba. Nam & ipse, quod Patroclus ad Eurypilum ait, sensit:

Τίς δ' οἶδ' εἴκεν ἑοὶ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίνω
Παρειπών, ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.

GEORG. Immo verò vt ipse legam, patere, vt auribus simul linguã, quæ in eius scriptis offendi nequit, minùs animus cuiusquam molestia affici, accommodem. SAMB. Lege si ita vis. GEORG. Quare cùm tibi ego tam multis in rebus concedam, patẽre obsecro te, in hac me vna riualem esse tuum, nec tibi vel tantillum velle concedere. sentimus enim idem, quod tu, nihil esse speciosius eloquentia, nihil præ-

Manutij epistola.

stantius: quàm vt ipse osti, amarunt ætate nostra, atq. appetere quamplurimi, potiri autem, vt mihi quidẽ videtur, adhuc nemo potuit, quis enim Latinæ orationis laudem non magnopere diligendam duxit? quis porrò rationem, & quasi viam, qua peruenire ad eam liceat nobis indicauit? Nam qui se ita exercent, vt ex veterum scriptis & membra, & integrum aliquando comprehensionis corpus sua in scripta transferant: non equidem eos reprehendo: Siquidem perfecti similitudinem quandam sequuntur, sed quia perfectum ipsum non attingunt, in magna laude non posuerim. Et paulò post: Improbas igitur, inquies si ab antiquitate scribentes mutuemur? Ego verò si apte fiat, summè probo, sed hoc ipsum aptè, quàm difficile sit, ex eo licet cogitare, quod Latinam linguam continet vniuersam: vniuersa enim sub imitationem cadit, imitandi autem ratio, quia & multiplex est, & admodum recondita: primum de ea præcipere sigillatim infinitæ doctrinæ est, deinde quæ præcipiantur cognoscere, & perfectè exequi, nõ mediocris ingenij: cunq. id, quod enitet in oratione, aut in re videatur esse, aut in verbis: ego olim rem significatam simul cum verbis significantibus sumebam, eaque meis scriptis cùm inseruissem, tum optimum illud, quod quæritur imitando, planè arbitrabar me esse cõsecutum

 postea

postea cœpit mihi meum consilium displicere: cogitaui, quoniam id esset memoriæ magis quàm ingenij, quod ego efficerem præstare multos posse, quod autem multi possent, egregium non esse. Tùm iniui rationem haud paulò difficiliorem, quàm cum paucißimis mihi esse comunem intelligebam, exquisitas sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo versabam, eas ornabam verbis, quàm poteram, lectißimis, vt quasi vestitu orationis mutato cum eædem eßent, aliæ tamen viderentur. Erat non dißimilis in verborum figuris commentatio, si quas notaueram illustriores, ad alias sententias ita traducebam, vt interdum eandem locutionem in res per se innumerabiles accommodans, quasi ex vna cera plures imagines, nec tamen eiusdem generis effingerem. in hac exercitatione quantum esset, vtinam aut maturè cognouissem, aut serò cognitum auideque arreptum vis occupationum non extorsisset. equidem si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo, sed si quid sum, ab hac vna contendam. SAMB. Quod autem dubitabas Poëtis, an Oratoribus studendum prius esset, à cœna tibi oratiunculam de ea re meam, quæ in Museo latet, & quam aliquando Lutetiæ non infrequentem habui, legendam exhibebo, quæ te vtcunque expediat.

deat. Incumbe iam in exercitationem celebrem, vt me confirmes. Nam vt in pupilla dum imagines allatæ redduntur, mortis in metum nullo modo incidere Plinio teste debemus, sed in spem atque salutem erigi, ita dum vestigia artificemque modum Ciceronis in nostri temporis scriptis aliquo modo deprehendo, in demißionem ego animi nunquam cadam, sed eo constituto alios etiam in elegantiam vocabo.

eamus.

HÆc ſunt, quæ de imitatione quàm breuiſsime, ac fere nudè percurrere, ac edere nunc volui: quod ſi quædam minus explicata, aut etiam manca videbuntur, primo labori, quæſo ignoſcas. Fortaſſe enim tua patientia, & iudicij lenitate fiet, vt aliquando hæc ampliora, & illuſtriora, ſublatis ſi qui ſunt erroribus, compareant, vel alij corrigant, & amplificent, gratiſsimũ enim mihi fecerint, quippe illud 1. Ethic. & 2. Cœli. probandũ eſt: Δόξειε δ' ἂν παντὸς εἶναι προαγαγεῖν καὶ διορθῶσαι τὰ καλῶς ἔχοντα, τῇ περιγραφῇ, καὶ ὁ χρόνος τῶν τοιούτων εὑρετὴς, καὶ συνεργὸς ἀγαθὸς εἶναι, ὅθεν καὶ τῶν τεχνῶν γεγόνασιν ἐπιδόσεις. παντὸς γὰρ προσθεῖναι τὸ ἐλλεῖπον. Prodeſſe certe, nũquam obeſſe cupio iuuentuti, & itinera ita commonſtro, ne ducem me omnino putem vel myſteria ſolum quæ alij contineant enũtiare: id enim neque de ingenio, neque experientia mihi ipſi unquam perſuaſi: verum vt digitum, quod aiunt, ad fontem intenderem, id vero cogitatione, & opuſculo cõſequi velim. Nam quod Mutius addit à Socrate, perfectum eſſe opus, ſi quis ſatis concitatus cohortatione ſit, idem ego ſentio, ſed quod voluntatem, & intentionem confirmat, illud græcorum eſt addendum ἀθυμοῦντες μηδὲν τρόπαιον ἐστήσαντο. Vale.

M. T. CICERONIS DE SOMNIO SCIPIONIS.

CVm in Africam veniſſem, Anitio Manilio conſule, ad quartam legionem tribunus (vt ſcitis) militum, nihil mihi potius fuit, quàm vt Maſiniſſam conuenirem, regem familiæ noſtræ iuſtis de cauſis amiciſsimũ. Ad quem vt veni, complexus me ſenex, collachrymauit, aliquantoque poſt ſuſpexit in cœlum. Et grates, inquit, tibi ago ſumme Sol, vobiſque reliqui cœlites, quòd antequam ex hac vita migro, conſpicio in regno, & his tectis P. Cornelium Scipionẽ, cuius ego nomine ipſo recreor. Ita nunquam ex animo meo diſcedit illius optimi atque inuictiſsimi viri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra Republica percontatus eſt, multiſque verbis vltro citroque habitis ille nobis conſumptus eſt dies. Poſt autem regio apparatu accepti, ſermonem in multam noctem produximus, quum ſenex nihil niſi de Africano loqueretur, omniaque eius non ſolùm facta, ſed etiam dicta meminiſſet. Deinde vt cubitum diſceſsimus, me & feſſum de via, & qui ad multam noctem vigilaſſem, arctior quàm ſolebat, ſomnus complexus eſt. Hic mihi (Credo equidem, ex hoc quod e-

ramus loquuti,fit enim ferè,vt cogitationes,ser monesq; nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui) Africanus se ostendit illa forma, qua mihi ex imagine eius,quàm ex ipso erat notior.Quē vt agnoui,equidem cohorrui. Sed ille, ades,inquit,animo,& omitte timorem Scipio,& quæ dicam , trade memoriæ . Vidésne illam vrbem, quæ parere populo Romano coacta per me renouat pristina bella,nec potest quiescere?(ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum , illustri & claro quadam loco) ad quam tu oppugnandum nunc venis penè miles,hanc hoc biennio COS.euertes, eritque cognomen id tibi per te partum,quod habes ex nobis adhuc hæreditarium. Quum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, CONS. q; fueris, & obieris legatus Ægyptum,Syriam,Asiam,Græciam,delegere iterum absens COS.bellumque maximum conficies, Numantiamque excindes . Sed quum eris curru capitolium inuectus , offendes Remp. perturbatam consilijs nepotis mei . Hic tu Africane ostendas oportebit patriæ lumen animi,ingenij,consilijque tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam.Nam quum ætas tua septenos octies solis anfractus,reditusque conuerterit,duoque hi numeri (quorum vterque plenus alter altera de causa habetur) circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint,in te vnum atque tuum no-

nomen se tota conuertet ciuitas. Te senatus,te omnes boni,te socij,te Latini intuebuntur. Tu eris vnus in quo nitatur ciuitatis salus . Ac ne multa,DICT.Remp.constituas oportet,si impias propinquorum manus effugeris. Hic quum exclamasset Lælius, ingemuissentq; cæteri vehementius,leniter arridens Scipio.Quęso,inquit, ne me è somno excitetis, & pax sit rebus:audite cætera . Sed quò sis Africane alacrior ad tutandam Rempublicam , sic habeto . Omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint,certum esse in cœlo,ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur . Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit,quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia,cętusque hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur . Harum rectores & conseruatores hinc profecti, huc reuertentur. Hic ego , etsi eram perterritus , non tam metu mortis , quàm insidiarum à meis , quæsiui tamen,viueréne ipse & pater Paulus,& alij,quos nos extinctos arbitraremur.Immo verò,inquit, ij viuunt,qui ex corporum vinculis tanquam è carcere euolauerunt . Vestra verò quæ dicitur vita mors est. Quin tu aspicias ad te venientem patrem Paulum. Quem vt vidi,equidem vim lachrymarum profudi . Ille autem me amplexus atque osculans flere prohibebat . Atque ego vt primum fletu represso loqui posse cepi. Quæso, inquam,pater sanctissime , atque optime, quoniam hæc est vita (vt Africanum audio dicere)

 quid

quid moror in terris, quin huc ad vos venire propero? Non est ita inquit ille, Nisi enim Deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodijs liberauerit, huc tibi aditus patere nō potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur. Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, que sydera & stellas vocatis, quæ globosæ & rotundæ diuinis animatæ mentibus, circulos suos, orbesq; cōficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum asignatum à Deo defugisse videamini. Sed sic Scipio vt auus hic tuus, vt ego, qui te genui, iustitiam cole & pietatem. Quæ quum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: quia ea vita, via est in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is splendidissimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos (vt à Graijs accepistis) orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti præclara cætera & mirabilia videbantur. Erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco videmus, & eæ magnitudines omnium, quas nunquam suspicati sumus. Ex quibus erat illa minima, quæ vltima cœlo, citima terris, luce lucebat aliena.

na. Stellarum autem globi terræ magnitudinē facilè vincebant. Iam verò ipsa terra ita mihi parua visa est, vt me imperij nostri, quo quasi punctum eius attingimus, pœniteret. Quam quum magis intuerer, quæso inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? Nonne aspicis quæ in templa veneris? Nouem tibi orbibus, vel potius globis cōnexa sunt omnia, quorum vnus est cœlestis extimus, qui reliquos omnes complectitur. Summus ipse deus arcens & continens cæteros, in quo infixi sunt illi, qui voluūtur stellarum cursus sempiterni. Cui subiecti sunt septem, qui versantur retrò, contrario motu, atque cœlum. Ex quibus vnum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tum rutilus, horribilisq; terris, quē Martē dicitis. Deinde sub termediā ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta sua luce lustret, & compleat, hunc vt comites consequuntur, alter Veneris, alter Mercurij cursus. In infimoque orbe Luna radijs solis accensa conuertitur. Infrà autē eam nihil est nisi mortale & caducum, præter animos generi hominum deorum munere datos. Supra Lunam sunt æterna omnia. Nam ea, quæ est media, & nona tellus neque mouetur & infima est, & in eam feruntur omnia suo nutu pondera. Quæ cum intuerer stupens, vt me rece-

 pi,

pi, quis hic inquam, quis est, qui complet aures meas tantus & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctis imparibus, sed tamē pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium conficitur, qui acuta cū grauibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt, & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè sonent. Quam ob causam summus ille cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic lunaris, atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, Mercurij & Veneris, modorum septem efficiunt distinctos inter vallis sonos, qui numerus rerū omnium ferè modus est. Quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum. Sicut alij, qui præstantibus ingenijs in vita humana diuina studia coluerunt. Hoc sonitu oppletæ aures hominū obsurduerūt, nec est vllus hebetior sensus in vobis, sicut in illis vbi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic verò tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, vt eū aures hominum capere non possint. Sicut intueri solem nequitis aduersum, eiusque radijs

acies

acies vestra sensusq; vincitur. Hæc ego admirās referebant tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus, Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari ac domum. Quæ si tibi parua (vt est) ita videtur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contēnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis vbi habitatur, vastas solitudines interiectas. Hosque qui incolunt terrā, num modo interruptos ita esse, vt nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim versos, partim etiam aduersos stare vobis, à quibus exspectare gloriā certe nullam potestis. Cernis autem terrā eandem, quasi quibusdam redimitam & circundatā cingulis, è quibus duos maximè inter se diuersos, & cœli verticibus ipsis ex vtraque parte subnixos, obriguisse pruina vides. Mediū autem illum & maximū solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistūt, aduersa vobis vrgent vestigia, nihil ad vestrum genus. Hic autem alter subiectus aquiloni quē incolitis, cerne quàm vos tenui parte contingat. Omnis enim terra quæ colitur à vobis angusta verticibus, lateribus latior, parua quædā insula est, circunfusa illo mari quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris. Qui tamen tāto nomine, quā sit paruus, vides. Ex his ipsis cultis notisq; terris num aut

tuum,

tuum, aut cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis vltimis, aut aquilonis, austriue partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis, cernis profectò quantis in angustijs vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem qui de vobis loquuntur, quàm diu loquētur? Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominū deinceps laudes vniuscuiusque nostrum à patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluuiones, exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modò non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest ab ijs, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab ijs nullus fuerit, qui antè nati sunt, qui nec pauciores, & certé meliores fuerunt viri? cum præsertim apud eos ipsos, à quibus nomen nostrū potest audiri, nemo vnius anni memoriam consequi posśit. Homines enim populariter annū tantummodo solis, id est, vnius astri metiuntur. Cum autem ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint: tum ille veré vertens annus appellari potest, in quo vix dicere audeo, quàm multa secula hominum teneantur. Namque vt olim deficere sol hominibus, extinguique visus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetrauit, ita quandocunque eadem parte sol eodemque tempore iterum

terum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium, stellisq́ue reuocatis, expletum annum habeto. Huius quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conuersam. Quocirca si reditum in hūc locum desperaueris, in quo omnia sunt magnis & præstantibus viris: quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere vix ad vnius anni partem exiguā potest? igitur altè spectare si voles, atque hanc sedem & eternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmijs humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alij loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & angustijs cingitur ijs regionum, quas vides, nec vnquam de vllo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguitur. Quæ cum dixisset, Ego verò, inquam, ò Africane, siquidem benemeritis de patria, quasi limes ad cœli aditum patet, quanquam à pueritia vestigijs ingressus patrijs & tuis, decori vestro non defui: nunc tamen tanto præmio proposito, enitar multò vigilantius. Et ille: Tu verò enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque, is est quisque, non ea figura, quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse, siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit & moderatur & mouet id corpus, cui

cui prępositus est, quàm hunc mundum princeps ille Deus: & vt ipse mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet. Nam quod semper mouetur, æternum est. Quod autem modum affert alicui, quod ipsum agitatur aliũde, quando finem habet motus, viuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit, quin etiã cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Principio autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: Ipsum autem nulla ex re fieri potest. Nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidit quidem vnquam. Nam principium extinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit. Siquidẽ necesse est à principio omnia oriri. Ita fit, vt motus principium ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori. Vel concidat omne cœlum, omnisq; natura consistat necesse est, nec vim vllam nanciscatur, quæ à primo impulsu moueatur. Cùm pateat igitur æternum id esse, quod à seipso moueatur: quis est hic, qui hanc naturã animis esse tributam neget? Inanimatũ est enim omne quod impulsu agitatur externo. Quod autẽ anima est, id motu cietur interiore, & suo. Nam hæc est natura propria animæ, atque vis. Quæ si est vna ex omnibus, quæ sese moueat, neq; nata est certè, & æterna est. Hanc tu exerce in

in optimis rebus. Sunt autem hæ optimæ curæ de salute patriæ, quibus agitatus & exercitatus animus velocius in hanc sedem, & domum suã peruolabit. Idq; ocius faciet si iam tum cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt contemplans, quàm maximè se à corpore abstrahet. Nam eorũ animi, qui se corporis voluptatibus dediderũt, earumq; se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum & hominum iura violauerunt, corporibus elapsi, circũ terram ipsam volutantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitatis seculis reuertuntur. Ille discessit, ego somno statim solutus sum.

FINIS.

SAMBVCVS DANIELI RECHNICZ. S. D.

SCio quid Craſſus ore Ciceronis de toto hoc genere ſcripturæ, atque exercitationis ſenciat, neque enim optimis fieri aut ſubſtitui meliora, ſi occupentur, facile poſſunt: quia tamen iſta quædam contentio non tam in verbis, quã rerũ intelligentia poſita eſt, tuaque cauſa horulis aliquot ſuſcepta: credo me ab eruditis veniam, abs te etiã gratiam habiturũ, vulgus ſi aliter loquetur, præſtare nequeo. Certè nemo intelligentis & exercitati iudicij huiuſmodi planas, ex eodemq; autore tranſcriptas interpretationes in rebus breuitate, & ſententia obſcuris reprehendet. Neq; enim tempus & ſpaciũ cuilibet ſuppeditat euoluendi tot cõmentarios, & quorundam in ſtudijs nondũ firmi progreſſus moleſtiſsime eam moram ferunt, difficillimeq; notant difinitos ſenſus. Quod ſi vel paradoxis, vel alijs pariter illuſtribus, & expoſitis diſputationibus ſtilũ hunc liberiorem applicuiſſem, vitioſe id, maloque exemplo feciſſem: nunc iſta opella ſum adniſus, vt meis ſomnijs Scipionis cõmentum dilucidius fieret, magiſq; ad percipiendũ prompta narratio: & ſimul oſtenderẽ, quemadmodũ abs te paraphraſes informandæ, celebrandæue ſint, ex eodem nempe Cicerone verbis & ſententijs comportatis, & recta permutatione appenſis. Quòd ſi vtrũq; forte perfecimus, nam ſtudinm, & conatus minimè defuiſſe non ignoras, obſequij me mei non pœnitebit: ſin minus, voluntatem id conſequendi, ac edendi alijs etiam probabis. Tu vero omnino in literarum elegantia pergendum tibi eſſe, & laborem in linguarum cognitione vrgendũ putabis: vt Viri à Rechnicz, optimi, & nobiliſsimi ſenis, qui te genuit & quẽ principes viri amãt, & colunt maiorumq; veſtigijs alacriter ingreſſus, pietatis, & virtutũ exempla egregia nobis, & futuris exhibeas, & luce ingenij celebritatẽ, omnemq; memoriã cum poſteritate acquiras. Ita enim ſalutarem te patriæ, dignumq; expectatione tuorum præſtabis: ita abſentię in Italia, & Gallia tuæ parentẽ nunquã pœnitebit, fidemq; liberatam apud me fatebor. Vale. Melodun in Gallia 3. Idus Auguſti. M. D. L X I.

N PA-

CVm in Africam tertio bello Punico Imperatore, & Consule M. Manilio, quòd Martius collega tempestate perierat, ad quartã legionem fortissimam, vt pro Consule militibus imperarem, quando vobis conscijs obsidionali corona donatus sum, venissem: nihil prius habui, quodque me in desiderio ita teneret, quam Massinissam, socium firmum Romanorum, centesimum ætatis annum ferè agentem vt conuenirem, regem eum familiæ nostræ quoque ob restitutum regnum, & Syphacem finibus angustatam beneuolentia coniunctissimum (quod ei conseruato filio, & post deletam Carthaginem nepote auunculo remisso mutuum atque gratum testatus sum.) Quo ego aspecto, ipse amorẽ in me cõplexibus suũ, & lacrymis depromtũ expressit, pauloque sublatis in cælũ oculis, grates, inquit, tibi ago summe Sol, qui moderator, & princeps reliquorum globorum, & rerum productor existis, nõ nisi Dei præsens quædam vmbra & imago, vobisque alijs, qui hinc vestra pietate ad regionem Deorum reuersi estis: quod antequam iussu eius, qui hanc mihi vitam contulit, à spiritu, societateque hominum discedam, videre mihi contigit in his minimè speratis lo-

cis, meisque tectis, quem arbitrum, ac diuisorem bonorum expetam. P. Cor. Scipionum, familiæ, ob singularem spem, virtutumque opinionem iure heredum adiuncto: cuius gentis ego vel ad ipsam mẽtionem mirandum in modum recreor: vsque eo hæret in animo meo illius optimi, atque tot victorijs insignis, & ab omni laude felicissimi viri, cuius beneficio, & persuasu regni finibus auctus sum, grata memoria. Deinde illum ego vt tranquillè regnum possideret, ipse me de statu nostræ Reipub. percũctatus est, multisque, ac varijs mutuò habitis colloquijs, eum diem suauiter transegimus. Mox cœna copiosa, & regia lautitia instructa, sumtũ enim illi attuleram, refecti eodem modo sermonem in commemorationem iucundissimorum ad multam noctem extraximus: vbi senex præ amore indulgentissimè, ac prolixè de Africano tantùm loquebatur, vt non modò res publicè notas, & celebritatẽ ad Ticinum Cannas industriam Carthaginem facta, sed sensus intimos reconditè, memoriterque pronũtiaret. Deinde vt ad lectum profecti sumus, eum quia de longinqua via fessus eram, tum quod congressus ille optatus in multam noctem verba largius suppeditarat, actior profondiorque somnus, quàm de consuetudine, qui curis adhuc minus destinebar, solebat, me altè inuasit, & quasi perpetuo dormiturum

ſepelijt. Hinc mihi fortaſſe quia tam multa eramus de ijs locuti: nã plerumque vſu venit, vt quorum memoriam interdiu libenter vſurpamus oratione, aut à cogitatione non repellimus, non diſsimiliter ac Ennio de Homero commentanti, qui illum vidiſſe in ſomnijs, atque animam in ſe illius tranſijſſe putarit, nobis quoque feſsis, & quieſcentibus accidit: Africanus ea forma, quæ ex ſimilitudine, ac recordatione aliquando viſæ imaginis potius, quàm præſenti aſpectus iudicio agnitus, ſe mihi ſubitò offert. Quẽ vt eſſe ſuſpicatus ſum, equidem vt re incredibili & necopinis viſis, vmbrisq. cohorrui. Sed ille me ad præſentẽ, lætumque animũ cõpellat, omnẽque vt deponã metũ, iubet: quin potius vt diligenter quid de me certa animi notione præſentirem, totoq. vitæ curſu futurum eſſet narrantẽ audirem, ad eorumque expectationem ſtudia, & conatus excitarem meos, perpetuáque in animo verſarem, his verbis cohortabatur: vides ne illam vrbẽ, quæ vno die me duce, & auctore cum vniuerſa Africa Romano imperio eſt addita, vt otioſa eſſe nequit, ac tertiò per Haſdrubalẽ priſtina bella de integro repetere, infeſtáque populo Romano, & inimica eſſe cupiat? (Carthaginem verò de templo excelſo, in quod me ſublatum nondum putaram, oſtendebat, pleno minimarum ſtellarum, & candenti regione) ad

ad quam tu obſidendam, & expugnandam nulla ferè dignitate venis. De ea tibi liquidò confirmare poſſum, alium qui eam hoc biennio, & quidem Conſul ætate ſolutus, ſexto menſe, triennium vexatam expugnet, euertatque præter te fore neminem: vt quod à me primum cognomen ob Africam ſuperatam adoptatus iam ante habes, tuo ductu, & factis idem tibi parias, atque confirmes. De ea conuerſa, & prorſus exciſa vbi triumphum egeris, & cenſuræ notationem, principemque magiſtratũ obtinueris, Æguptum, Suriam, Aſiam, Græciam, ſocia loca in orbem velut ſita, vicaria poteſtate inſpexeris, ac legatus cũ ſeptem ſeruis obieris, abſentis tui ratio conſularibus comitijs habebitur, vt iterum duodecimo pòſt anno Conſul cum Gn. Fuluio Flacco maximum bellum conficias, inimicam nobis & Carthaginis æmulam Numantiam radicitus tollas. Sed cum in Capitolium non curru eburneo, obuiámque cunctis procedentibus, nec clamore, & lauro comitantibus Ioui vt gratiæ habeantur, ſed nomine, & ſimulacro eius celebritatis inuectus fueris, reuiſes Grachanis nimis popularibus legibus, non nihil Rempublicam fluctuantem, ac perturbatam, quæ gladios ciuium ſanguine prima inficiet quibus te conſtanter oppones, defenſamque optimorum auctoritatem cupies.

Ibi tum Africane, declares oportebit quid valeant vires, beneuolẽtiam patriæ, omnemque industriam, & operam caussæ coniunctæ, nihil vt minutè, nihil segniter, nihil temerè fiat, præstabis: sed tamen, nescio, quid aduersi tum rebus tuis fututum, & insidias vitæ mihi præsagit animus, vt non eundem tenere cursum beatè honoribus, & rerum gestarum gloria floreas, eumque dignitate poßis. Nam cùm ætas tua sextum & quinquagesimum annum attigerit (qui vterque numerus perfectus est, impar quia omnium rerum modus est, & consensum habet cum plurimis intestinum, alter quia quos metitur, pariter diuidit, ipseque in comparia mensus abit) qui vltimus tuæ vitæ fuerit, in te solùm Respub. oculos. animũque fixum habebit, in te Africanum salutis suæ patrocinium conferet, & breui, te cunctus Senatus, te omnes bene sentientes socij & nomen Latinum ducem intuebuntur, abs te pendebũt, tu ex omnibus vnus eris, cuius in lumine animi, ingenij, consilijque ciuitas depositam spẽ suam, certamque libertatis sedem habebit, ac vt quod sentio, paucis complectar: si vim, quod tamen ob ingratos propinquos, cædemque Tiberij approbatam, vix futurum video, effugeris, præsertim vxoris manus: commotam rem communem, vel potius afflictam summa illa potestate dictaturæ in integrum restitues,

tues, atque animis ciuium, & legibus coniũges. His nuntijs Lælius, quo cum Cocleas solebat, & lapillos lectitare, dolenter cum exclamasset, ceterique de Repub. sermocinantes vehementius ingemuissent, ego verò mihi adhuc cum somno negotium esse simulans, ne suo clamore de suauißimo somno abducerent, paxque rebus silentio permitteretur, deprecabar, atque audire Africani ad me verba hæc pergebam. Et quanque fatorum tuorum progressum ancipitem fore enuntiarim, vt raptorem spiritus domi reperias, mortis punitionem neminem sis habiturus, & Nasicæ casus te turbarit: nihilominus id à præclaris in patriam studijs, & virtutibus te auocare non debet, quòd alia benefactorum, quàm quæ hominibus reseruãtur præmia, in constitutã à me Remp. hic sunt deposita. Etenim qui patriam in pace tuentur, in aduersis iuuant, & labantem suffulciunt, imperio & finibus dilatant, & amplificant, certam eis, ac definitam in cælo possesßionem attribui ne dubites: vbi beati vita perenni, & interminata iucundißimè perfruantur. Nam cùm nihil sit principij Deo, cuius hæc vniuersa sunt, ac sustinet (duntaxat in terris) acceptius quàm pax, quàm coitiones, cœtusque hominum legitimè, cõcordiaque vinctorum, qui congressus & ciuiles conciliationes propriè ciuitates appellantur: has qui regunt,

gunt, & præsidio sanã, & saluam conseruant, quoniam Deorũ numine præsunt, hincque suam auctoritatem profectã cõstitutamq. obtinẽt: perfuncti sua procuratione, huc denique recurrunt. Hæc ego de me, qui simul audiebã, etsi eram perterritus, nõ quidem tã mortis, quæ nihil est, metu, quãque à me contemni tot exemplis docui, quàm iniuriarũ memoria & iniquis meorũ insidijs, qui auram, & fauorẽ populare in fraudem optimorũ nunquam captarim: audaciam simulans, velut imperterritus, quæsiui, viueret ne ipse auus meus, qui mihi loqueretur, & P. Æmilius iunior, alijque quos nos penitus indolẽtes, nihilque post digressum à nobis sentire iam pridem suspicaremur. Pater verò etiam maximè se, & alios, qui animis veri homines subuolassent, viuere dixit: nostram verò dictam vitam à corporis custodia qui nondum essemus liberati, mortem, vtque potius appropinquantem se patrem aspicerem, & salutarem, monuit. Quem vt vidi, equidem plurimum fleui, sed ille osculo, & complexu lacrymas abstergerem, voluit, atque vt parui, & loqui à lacrymis potui, his eum verbis compello. Quæso pater optime, & quem violare nemo amplius sancto in domicilio potest, quoniam non quam rebar vita in terris aliqua hominum opinione, ac de nobis sermone collecta, benè meritis

ritis proposita est: sed vestra, hæc vbi omnia magnis, & præstantibus certa, & expedita sunt: quid diutius in terris hæreo, ingentia bella administrare, meorumque insidias elabi conor, meque ipse demoror, quo minus ad vos aduolem? Ibi ignoratione cælestium vana me locutum reprehendit, atque ait: Non casu, & vestra sponte, cùm in animum induxistis, properantibus huc vobis ingressus patet. Nisi enim Deus princeps huius ipsius templi, cuius venia, & iussu hac tenùs reuertimur, qui in laude viximus, à corpore te re ipsa tanquam hospitio, non sede, tuo perfunctum munere laxarit, mistus ista mole, & grauis huc nunquam penetrabis. Nempe homines ea lege sunt generati, quibus vita, & animus de vi, & calore cælestium siderum, & ignibus sempiternis est depromtus, eorumque naturam cuiusque ingenium præfert, ac sequitur, vt terram vniuersi centrum incolant, tueanturque. Nanque sidera, & stellæ, quas ita vocatis, globi formã obtinẽt, vimq. sui celerrimi motus, & ambitus velut mentẽ à Deo, qui ea torquet, & ad idẽ punctũ aliquãdo referet, habent. Itaq. mi Publi, & tibi, & omnibus, qui altè spectãt, & iustitia, pietateq. enituntur, nulla vis, nulla manus vitæ, vel cupiditate superorũ, vel molestia, metuq. insidiarũ, vnquã est efferenda, sed tãtisper

continenda, ac tuenda, donec qui eam vobis effuso munere concessit, deponendam iusserit, idque adeò ne quisque priuatæ commoditatis, aut publicorum tædij caussa ad quos labores, & munia diuinitus euocatur, defugisse videri possit, verùm exemplo aui tui præsentis, & meo paterno studiosè, & assiduissimè iustitiam erga omnes, pietatem erga Deos, & patriam prius, quàm è vita demigres, colito: sed in primis hanc, quæ licet erga parentes, & propinquos laudanda est, tamen quæ in patria conseruanda, & augenda solet adhiberi, longè antecellit, quoque minus certa est hominum ac minùs diuturna vita, hoc magis Respub. dum per Deos immortales licet, frui debet summorum hominum vita atque virtute. Hoc modo, hac vita comunitur aditus in cælum, & societatem amplissimæ hereditatis, eorũque, qui seiuncti à terrea compage, certum illud descriptũq. felicitatis spatium, seu more vestro ad Græcorum imitationem galaxian appellatam, incolunt, qui verum decus maximè illustrarunt in patriam meritis. Erat autem is locus propter minutissimas, & frequentes stellas, si ad alios referas, lacteo quodam candore aspersus: vnde mihi vniuersa contuenti, & admiranti, preter cetera in primis suspiciẽda, & præclara videbantur, quæ iam audietis. Nãque ad oppositum verticem, stellas, vnde aduersa nobis vestigia figuntur, & quæ nunquam nobis extant, contemplatus sum, atque reliquorum siderum eam, vt sic dicam, deprehẽdi granditatem, & molẽ, quam in terris nemo crediderit, nec vnquam ad cogitationem vocarit suam: quarum quæ vltima videbatur, ipsa est Luna, terræ imminens, mutua luce & varia, celerrimaque comparens. Quæ verò octauo cælo sunt infixæ, numero infinitæ, ex his minima quæque terram quantitate excedebat, vt me imperij, qui in ea angustia vix aliquę partem tot bellis terra, mariq́ue exhaustis, solicitudine verò reliqua maxima, contigimus, iustè pœniteret. Quam dum contentius despicio, ibi Africanus me corripiens, quousque non obliuiscère inferorum, ait, cur non hæc potius in loca mentem omnemque animum collocas? Nũquid adhuc nescis quæ in templa secesseris, quæ pulcritudo, natura, istiusque molitionis vniuersæ aspectus, partiumque ordo sit, nõ vides? Sed exponam tibi breui, vt omnem caliginem animo tuo terrestribus offusam, discutiam, singulaque pateat. Nouẽ tibi orbibus, vel in omnes partes globis, cũcta sunt connexa, seu conuexa, & colligatione quadam perpetua firmè coagmentata: horum qui nobis est familiaris, vobis remotissimus, secum alios ab oriẽte ad obeuntem Solem spatijs, immutabilibus perducens, cælestis dicitur: quem propter tantam vim, & facul-

facultatem cui reliqui obsequũtur, ipsum ego sum-
mum Deum ista contorquentem esse puto, quẽ item
arcere alios, & continere est credibile: in eodem stel-
larum cursus illi constantes, eodemque modo semper
absque temeritate reducti insunt, non mobiles, scin-
tillarum in modum ob trepidantem à Septentrione
motum emicãtes: cui subiecti sunt septem, quos Pla
netas nuncupatis, dispari cursu, qui etsi supremi vir
tute ab ortu proficiscantur, retro tamen priuatim
definitis temporum interuallis, ob spatium & circu
lorum suorum, amplitudinẽ, vel angustiam fortas-
sis diuersi conuertuntur. Quorum primus inde Sa
turnus est, tardissimus ob vicinitatem cæli, cuius
raptui vehementius resistit, ideoque triginta annis
à se in ortum pertinet, frigidus, senibus, & partui
octauo mẽse edito periculosus. Sequitur prosperus,
lætus, & ab omni parte felicior Iupiter calidus, &
humidus, inter duos noxios vitæ producendæ ami-
cus. Tùm præ ardore rubeus, minax, sanguinolen
tus, iracũdus, omnibusque locis, & temporibus me-
tuendus, & bellator orbibus suis adhuc obscurus
Mars. Mox ad mediam huius hemispherij regio-
nem Sol, dux, & norma motus reliquorum, tãquam
in cerebro mundi mens, quo moderatore omnia na-
scuntur, & vigent, ea magnitudine, vt luce omnia
sua collustret, ac peruagetur. Hunc velut assectan
tur

tur, longè inferiore conditione, & virtute à medio,
& superioribus degeneres: quibus blanda, & comis
Venus, cum Mercurio vago, & in dies cursu satis
difficili ac incerto, Deorum internũtio, ac ingenio-
rũ fautore (qui bonis cõiunctus benignè pollicetur,
cũ malis sæuit) nomen suum, & vestigia dederunt.
Infimo cælestium loco fratris luce, sed potestate non
æqua prædita Phœbe visitur in terra versans, in-
fra quàm nihil est sempiternum, quodque careat
extremo, caduca omnia præter animos acerbissimis
vndiq. circũfusa molestijs, & desitura, sunt abiecta:
supra eã, sine exitu, & modo omnia cõstãt, æternaq.
sunt. Ceterũ quæ ex hoc loco nona apparet, Tellus
est firma, imaq. sede detrusa latens, ad quã oĩa cor-
porea spõte, suaq. latione seu nisu eo tendunt, & re-
quietè subsidunt. Quæ dum magnopere intueor. &
à stupore me collegi, audire mihi moderatos cãtus,
& harmoniam admirabilem visus sum, nec tameu
vnde ea, quaque ratione excitentur suspicari potui:
tamen quæ caussa, modiq. essent vt intelligerem, ex
Africano quærere nõ dubitaui. Hic est, respõdit il
le, qui ex numero impari dictorũ septẽ orbiũ sese cõ
sequentiũ seu ambientiũ interuallis, tamẽ congruen
tibus distincto è Pythagoreorũ disciplina existit so
nus, & qui tuas aures cõplet, dulcis cãtus. Nam ab
orbibus cõmoti Planetæ, suo decursu concentũ edũt,
ab

*ab imo ad summū graue, & acutū quidē ab extre-
mis, & contentissimum: ab intermedijs verò spatijs
mistè, & remissius contemperatū. Qui enim tātæ
machinæ impulsus non exaudiantur? & propriū est
extremorū, vt quæ proxima sunt à suo motore velo
cius quia feruntur, acutè: quæ disiunctissima, lentè,
non celeriter conuersa, grauius sonent. Itaque fit,
quod octauum cælum iunctum cum suo auctore, con
citatissimo impetu subtiliter, & excitatè sensum au
diendi penetret. Luna verò infima humidior, & va
poribus obnoxia, grauissima verberatione percipia
tur. Sed quæ in medio mūdi est Terra, nona à stelli
fero loco, imaque sede stabilis, immotaque hæret: qui
verò supra orbes sunt, quorum concentus acuto, &
graui efficitur, singuli suam vocem, & separatam
accinunt, eoque septem soni eliciuntur: qui numerus
ob multas caussas, si Pythagoreis credimus, index,
& mensor, rebusque in vita plurimis numerosè con
sentiens est. Hanc ipsam modorum vim duplicem,
ac deuinctam, quibus præstans ingenij vis, & intel
ligens fuit iudicium, similitudine, fidibus, & voci-
bus imitati per τὸ διὰ πασῶν exprimunt: nō minùs
quàm alij, qui rebus cælestibus, & in sublime, æter
numque contubernium pertinentibus, studuerunt,
vnde ars ipsorum profecta sit animaduerterunt,
eôdemque sibi reditum impetrarunt. Quod verò
in*

*in terris hunc ipsum cantū nō obseruaris, vobisque
auditum abstulerit, mirum videri non debet: perpe
tua enim, & præcipiti, vastaque percussione aures
occupatæ, non secus, ac qui Nilum accolunt, præci
pitationem ex editissimis montibus aquarum illam
non notant, & assuefactæ negligunt. Quòd si de ca
tadupis istud contigit, quanto magis à totius mun
di præpotenti, & incitatissima conuersione sonitus
facit, vt eum sustinere nequeatis, quomodo qui So
lem aduersum intueri volunt, & aciem oculorum
obijcere, ictus radiorum visus perferre imbecillior,
& infractus nequit, ac minus lumen à maiore vi-
ctum hæbetatur, secus quàm mens, quæ intelligēdo
maxima, perfici etiam videtur. Hæc singula licet
me delectabant, vt horum insolentem, & ignarum,
nihilominus vnde ascenderam, eôdem frequēter ocu
los defigebam: fit enim vt rebus assuefactis, & fami
liaribus vel illis deterioribus, magis, quàm nondum
vsu cognitis, etiam optimis teneamur. Quod item
Africanus animaduertens, sentio, inquit te sedem
adhuc vestram communem, ac terrestrem domum
amanter despectare: quæ ipsa si tibi exilis, & perexi
gua, vt re vera est, videtur: has diuinas res colito,
& mirere, huc identidem oculos referas, illa vana,
& fortunæ ludibrio subiecta spe meliorum relinqui
to, vt redditus cælo animus perpetuitate alatur
bea-*

beatitudinis. Quæso, quam virtutibus & præstantibus ausis dignam laudem ab hominum memoria, quem sermonem, quin obruatur ac extinguatur, cōficies? Vides quam paulò ante ostendi, imo loco hærentem terram, vt sit parua, & angusta, quàm pauca, & rara hospitia præbeat, & in illa ipsa paucitate, & difficultate habitationum, quasi maculis eius quantæ sint solitudines, quàm steriles, & deserti, interque se auulsi, minimèque continentes, & sepositi loci, vt nullus inter eos, qui incolunt, quantùm nunc hominibus constat, rerum commeatus, nulla communicatio verborum, aut officiorū mutuò proficiscatur: sed qui circum extremitatem sunt telluris, obliquè habitant, qui per medium in vtrunque, & amplius latus, transuersè, quidam omninò vestigijs aduersis, quorum hinc stellas & verticem inuisum antea mirabere, ab his præsertim quam celebritatem, ad quos nihil vestrorum pertinet, prolixè tibi pollicieare? Cernis autem easdem, & variè dissitas angustias per interualla vinciri, & quasi cingulis quibusdam commoditatem domiciliorum, cælique naturam distingui. Siquidem spatia ab extremis ad vertices descripta, ob immensa frigora, quòd istuc Sol nec itinere, nec vi caloris vnquam abeat, habitationem denegat: qui verò amplissimus est, & medius, à quo vtrinque ad reuersiones seu deflexiones

nes binas vsque commeat, ob infestum calorem, quo affligeretur sedes, ad cultum inepta est. Reliqua sunt duo interiecta intra angustissimos illos, extremosque cingulos, & vtrūq. æstiuum, et hybernū Solis reditū, inclinationēque reciprocā, et quasi stationē vsibus & vitæ hominum commodissima. Sed tamen alterum quoque cui obiecti pedibus statis, seu obsistitis bonitate, et consuetudine vos sua excludit, vt nullus sit locus ad gloriam reliquus, præter Europam, & Asiæ partem haud longè discedentem. Atque vt nihil te celem, omnis terra, quā possidetis, ad polos angustior, & vtrinque finibus pressior, per medium latior, parua quædam insula est, circumsessa, & conclusa mari illo siue Atlantico, siue magno, siue Oceano: qui tamē magnitudine sua, si rem inde cognoscas, tanto nomini parum respondet. Ex his ipsis vtcunque cultis, & non ita interruptis, diuersisque terris, num aut tuum, aut cuiusque nomen, resque gestæ vel illā Tauri montis particulam, asperum, incultūque, & vario nomine Caucasum, quem cernis, superare vel illū Indiæ celebrem Gangem, qui vix Euphratē bello attigeritis, trāsire, aut euadere potuit? Iam quis in quatuor præcipuis illis mundi angulis, quibus Sol velut terminis quibusdam arcetur, hoc est, diē reuehit, aut abscondit, noctem, aut diem mediam efficit, Scipionum

nomen omnino audiet, minus facinora, & triumphos numerabit, aut laudibus extollet? His commoditatibus ad famam constituendam, & occasionibus disseminandarum virtutum sublatis, quæ loca restabunt, in quibus animi lumen, ingenium, & cōsilia exerceas, gloriamque memoria in omne posterum tempus propages? Quod si obijcias licet contractis sedibus, eorum qui nondum ex hominibus abiere, & qui vita posteriores vos consequentur, tamen sermonem de vobis diuturnum, perpetuumque fore. At quæso, quàm diu præsentes isti recentique memoria loquentur, quantum futuri, audias. Quin etiamsi in sequentium seculorum progenies alijs nondum viuis laudum vestrarum, quas à mortuis exceperunt commendationem, vt diutius vigeat, tradere velit, tamen propter necessarias in vniuersam terram inundationes, quibus hominum genus paucis exceptis, vt Pyrrhi, & Deucalionis tempore, interibit, & conflagrationes ob siderum calorem, & motum accensum extinguetur, vt quibus cuncta absumentur, non modò nō stabilem, & semper assiduam, sed ne diuturnam quidem gloriam, & monumentorum vestigia relinquatis. Sed vt concedam à posteritate vos laudem nullis annis, aut obliuione delendam expectare: quanti id æstima-

bis, si à melioribus, & longè pluribus ante sæculis qui fuerunt, nullum verbum de te fuerit, cùm præsertim adeò memoria, & vita eorum, quibus noti esse cupimus, & probati breuis sit, vt nemo ne vnius quidem anni expleti, & magni, mentionem adipiscatur? Nam si nescis, longè alia est ratio veri, & vulgò habiti anni plurimumque magnitudine differunt: quem enim communiter annum ex obitu Solis contra cæli cursum proprio censetis, atque duodenorū mensium exitu seu 365. sex horis cum quadrante exactis, vos metimini, verus non est, sed cùm ad idem punctum ortumque, licet longo tempore, vnde mota sidera fuere, ambitu suo integro redierint, ab expedita omnium siderum, & astrorum penitusque conuersa via, vertens appellari potest, in quo vix patefacere audeo, & statuere quàm multa hominum sæcula, quotque ætates comprehensæ, adhuc supersint. Atque nos eius anni principium licet longè ante Romulum sumserimus: vndecunque tamen ordiare, modò cæli totius ea descriptio sit, vt quæque ad exortum astra, stellæq. suū reuocentur, ad eandem inter se comparationē confectis omniū spatijs facta circunductione, in loco velut cōsistant, verùm, magnumque annum dices, quemadmodū olim cùm Romulus attestāte Solis defectu, tēpestateque cohorta,

ad hunc Deorum cœtum, ex concione ereptus erat.
Quandocunque enim Sol eodem in loco, ceteráque
signa, & astra fuerint, eodémque temporis interual
lo recursus hic complebitur, annum colliges, quod
nisi fallor in 4900 popularibus annis vix eueniet:
ideóque nondum vicesimam, hoc est aliquam eius
partem esse reuolutam, & percursam tibi persua-
deas. Quocirca si voles ad summum fatorum confe-
ctam in hunc locum acciri, in quo omnia bonis, et
præstātibus læta, & sempiterna custodiūtur: quàm
diu accusabere, inanem, & præcisam in obnoxia pe
riculis terra gloriam: quæ ne ad vnius quidem ex-
pleti anni comprehēsionem prodi minimā, exireque,
ob iam expositas caussas, vnquam potest? Itaque si
me audis, & sempiterna tibi sunt cordi, hisque locis
nobiscum infinitè frui desideras: non ita ambitiosè
imperitos de te rumores venabere, nec gratia, & me
moria hominum, tanquam præmijs virtutum, & be
nemeritorum, quibus minimè disceptant, sic teneare-
re, quæ honesta sunt vel citra vllam conspicuā, vel
speratam vtilitatem amplectaris: quando virtus se
ipsa contenta sit, à se habeat, quibus vulgaria con-
temnat, suique cultores, & admiratores nuda etiam
forma, & pulcritudine satis gratè ad se amandum,
verumque decus inuitet. Hæc omnia quæ habent
speciem gloriæ, collecta ex angustissimis, & splēdore
vacuis

vacuis insignibus, breuiaque contemne. Scio de te
alios locuturos, loquantur sanè, celebrent, nunquam
ex animo, & ore te abijciant: sed, mi Scipio, vides
quantis angustijs harum regionum contineatur is
sermo, atque septus loco, temporibusque nullus per-
ennis euadat. Siquidem & recens memoria paula-
tim diminuitur, & vetusta olim penitus aboletur,
Inania sunt delectamenta, puerorum captare plau
sus, vehi per vrbem, conspici velle, quibus ex rebus
nihil solidum tenetur. Quæ ille cùm dixisset, ego ve
rò, inquam, Africane tibi credam, meumque consi-
lium facilè mutabo, qui eam solidam felicitatē bo-
narum mentium repræsentas. Etsi enim à primis
annis studio inueniēdæ in hominibus laudis ita me
gesserim, ita tuo patrisque exemplo impulsus cūcta
prouiderim, vt degenerem me nemo dicat: nunc ta-
men longè ampliore mercede proposita: ad quam ve
lut scopum, omnis reliqua vita, & actiones dirigen
dæ pijs sunt, vehementius ad diuinitatem incum-
bam: atque vigilantius ad vos ea via, qui antè hu-
mi stratus eram, contendam, inferorumque admira
tione me liberabo, nec societate vitiorum deliniri pa
tiar. Ita verò facies respondit ille, si te nobis, & cæ-
lo dignum præstare voles: ac scito iustissimè, et con-
uenienter naturæ hominum id te facturum, quæ
nunquam moritur, non vt vehiculum istud, & car-

 cer,

cer hominis è terra cōflatus. Nec enim in vulgi errorem abeundū, quæ hominem hac afficta corporis figura declarat: cuiusque enim vis qua viuimus, sentimus, adeoque intelligimus, non quæ in oculos incurrit, ac digito forma commostratur, verus est homo. Quòd si nec videri, nec ostendi ab externis, & fugacibus potest, Deum te quendam esse putato, similitudine facultatum ab eo concessarum, & ratione mundi, cui præsidet, ideoque μικρόκοσμον *quidam hominem dixerunt: vt enim eum confitemur Deum qui sentit, qui præuidet, qui meminit, qui mundum, vt vos corpus, regit, ita his ipsis dotibus præditus meritò Deus est, corpus autem pars ab animo viuens, caducum, non secus, vt quadam parte mundus, qui aliunde pendet, cessareque eius motus aliquando potest, mortale est. Nimirum, enim, quod semper in motu est, nullum in tempus certum excedit, quod si sese mouens æternum est, profectò aliunde actum & impulsum arbitrio moderatoris consistit, nec vlterius, quàm eius dux volet, continuum erit. Iā quod à se exercetur, nunquam spontè se deserit, & vt ipsum viuat, semper non modò præstat, sed quoque etiam alijs motum largiri solet, ideoque fons, & principium est, ne quiescat: quòd si principium est, exordio caret, quòd ex eo prodeant reliqua*

liqua, propriè munitum sit, seque sustineat: ceteroqui si nascendi initium acciperet, eo nomine indignum haberetur. Quòd si ortu destituitur, nec quando moueri cœpit, vlla memoria, vllus terminus docet, nec occidet vnquam. Quæ enim ociderunt, nec ipsa redibunt, neque ex se alia producent: siquidem cuncta non ab exitu aliquo rerum, & extinctione, sed ortu creantur: ex quo sequitur, verùm principium à se ipsum moueri, ex eoque ita appellari, quod certè nec progredi aliunde, nec deficere potest, nisi temerè, & absurdè confirmes, ne cælum quidem corruptionis expers, quod & ipsum tempore, nulloque loco distinctum est, atque persuadere velis, naturam in quietem desituram, cùm non sit habitura, vnde vim motus, & vigoris expectet. Quamobrem cùm nemini esse dubium possit, quod sua se coæua, connataque agit vi, semper id esse velle, eaque re se continenter mouere, nec destituere: quis terminatum id, aut orsibus aliquando moderatum dixerit? Vel quis hanc præstantem facultatem, & continuam optimum quod est, cæloque profectum, ei detraxerit? cuiusmodi si quidquā, is certè huiusmodi animus est, vitæ omniūque gerendorū auctor, ac magister, cuius nomine humanitatem censemus.

Corpus enim quo induitur, ministroque vtitur, moritur, vt & omne inanimum, quod pulsu cietur, ferturque non æquali: contra autem animam iudicamus veram, quæ suo, non accommodato agitatur motu, vimque hanc absolutam, minimeque ad relinquendum aptam, conseruat. Quæ si hac conditione inter homines præcipuè est ornata, nunquam vt cesset, aut de motu remittat, idque cõstanter sibi suppeditare, alijsque valeat: neque nata est certè, nec aliquando interitura. Quòd si testatum est, quin tu eam potius exerces tui partem, quæ æternum sensum habitura sit, vberrimosque et pariter duraturos secum fructus affert? In optimis enim dum isto corpore degimus, elaborandum: optimas res voco, de patriæ tranquillitate, et otio salutares cogitationes, vt incolumis, & firma sit, augeatur, exornetur: cuius tanta caritas est, vt salute eam sua metiamur, non sensu nostro: quibus exercitus ac distentus animus, tanquam suo munere perfunctus, in hanc postremò sedẽ cupidius, suamque domum se ingerit. Siquidem dum inclusus est corpori, atque cum ciuibus viuit, omnibus curis procurare debet, vt iam tum probæ voluntatis, & conatuum manifesta non modò indicia, sed exempla prodat, èque induta mole, foras emineat, inque cælitũ concilium abitionem moliatur. Etenim animus diuina cõtemplans,

plans, dum corporeis fatigatur, facilius humana reijcit, seque à corporis, & voluptatum admiratione seiũgit, quod illi omnino faciundum est, nisi sperata sodalitate quam diutissimè excludi, & variè antè vexari, quàm sessionem necessitudinemque beatorum contingat, velit, cùm præsertim non tantùm ab hostibus armatis periculi ætati adolescẽti, quàm à circumfusis vndique voluptatibus immineat. Namque eorum animi, qui ita se abiecerũt, humiq. prostrauerunt, vt primordij sui obliti, nihil altũ suspiciendnm, nihil laudabile comprehendendum putant, & qui libidinum potius illecebris, quibus se totos manciparunt, quàm æternorum exagitantur, omnisque generis facinoribus obstrinxerunt, quòd Dijs & hominibus iure debebatur, negligunt: vbi secretus est animus ab illo comite, administroque voluptatum, non illico in hanc regiam soluti penetrant: sed variè animus impeditus, quominus ea celeritate, & motu, quo debebat promtè, parateque feratur: circum ipsam terram, cui se prorsus dediderant, pæne modò, incerti vagantur, ac velut à næuis, & reliquijs voluptatũ perpurgati, multis pòst sæculis denique recipiuntur. Atque his ille in exhortationem pietatis deorumquehonore percursis, euanuit, simulque ego exercitatus, somnium reliqui.

SCIPIONVM FAMILIA,

Cn. Cor. Scipio quidam cuius filius.

Lu. Cor. Consul ab v.C.455. huius filij

Cn. Cor. Asina consul 494.

L. Scipio consul anno sequenti.

L. Scip. duo filij cæsi in Hispania.

P. Cor. initio 2. Punici consul.

Cn. Cor. Caluus consul 531.

Caluus habuit P. Scip. Nas. cuius item filius.

P. Cor. Sc. Nas. corculum cuius filius.

Sc. Nas. Serapio ex quo prodijt.

Q. Cecil. Met. Scipio.

Iam Calui fratris filij duo.

L. Sc. consul 562. Asiaticus, qui filium eodē prænomine, nepotémque & pronep. habuit.

P. Scip. consul 548. & 559. Maior Afr. cuius filius P. Cor. Sc. qui adoptauit.

Scip. Aemil. qui aui somnium recitat.

AR-

ARGVMENTVM IN Somnium Scipionis.

Cicero sex libros de optima ciuitatis forma, & temperatione iudicio, & ore præcipuè Africani conscribens, ad finem ferè Scipioni hāc narrationem affinxerat accommodatè ad cōstitutæ Reipub. conseruationē, & studium eius salutis excitandum. Eam autem mistam, & commoderatam cælestium more informarat, vt in Rep. suprema cum imis, distincta tamen gradibus, & interuallis magistratuū, astrorum more, & vniuersi concentus aptè consentirent. Scopus est ad virtutes, præsentim δικαιοσύνην *& immortalitatem cohortatio quasi dialogismo, contentione, & quadam ratione cælestium, & sempiternorum, ad hæc terrena, et caduca, animique voluptatum ad corporis ignauiam comprehensus. Vt enim per somnium ad templum Deorum sublatus animus cūcta vidit ampliora, diuturnioráque, inferiora autem, vbi corpus somno arctissimo premebatur, omnia angustissima, & vix parte aliqua vnius integri anni constantia: ita per virtutes animum exercendum, et patriæ defensionem, quibus ad eam regionem perueniatur, suo præmio & exemplo Africanus iubet: nec virtutis esse mercedem præsen-*

ſentium, aut futurorum memoriam perbreuem, ſed pulcerrimum illud, cæleſteque domicilium, quo pij ob res ſapienter, & fortiter geſtas actiuntur. omne enim τέλους κἀγαθοῦ τινὸς ἕνεκα fit: ſed ratione, iudicioque definit iuſtitiam, & προαιρέσει colendam in patria iubet. Reliqua pariter inſeruiunt ad incitandum, & inflammãdum ſeparatim Scipionem, vt ſuperorum & inferorum deſcriptio, de immortalitate animorũ erudita, & Platonica, vt ferè cũcta in hoc libello, Timeiq. ſentẽtia. Eſt igitur exhortatio ficto ſomnio, ſed eo corneo, non vano ebore inuoluta, propter decorũ, ne Scipio inſolẽtius ſe prædicare videatur, aut veterũ aniles fabulas contra Epicureos ſequi. Quia enim præſenſiõe alterius opinionẽ ſuæ virtutis, & præterita tanquam futura tegit, ſtudium propriæ laudis à reprehenſione vindicat. Libellus præter quod cæleſtia deſcribuntur, præcipuè ad deliberationem pertinet: honeſtum eſſe perpetuorum ſtudium, & conueniens naturæ hominum, vtile ac iucundum neceßitudinem diuini contubernij benemeritis in patriam conſequi, facilè & expeditum, quia domeſticis exemplis abundet, ſomnioque tanti viri decurſum vitæ, laudeſque futuras audiat, vt miſtum, oraculo & viſioni ſomnium ſit. Atq. in hac tota narratione Ariſtotelis illud ſcitè cuſtoditur, vt dignitas maior in ſuaſore, quàm copia verborum

rum adſit, atque dialogus etiam fictis auctoritatem perſonarum fidei magnum põdus afferre oſtenditur. Sexto de Repub. *Cælius in octauo epiſt. Politicos Ciceronis libros omnibus vigere ait, ſed hi non fuêre: nam ſequenti epiſtola commentarios rerum vrbanarum eoſdem vocat: hoc autem ſomnium extrema ferè pars ſexti de Repub. fuit, quod etiam liquet de Lælij ad Fannium verbis: triduum diſſeruit de Rep. cuius diſputationis ferè extremũ fuit de immortalitate animorum, quæ ſe in quiete per viſum, ex Africano audiſſe dicebat, & ibidem Scæuola in hortis Scipionis colloquium habitum de Rep. meminit.* Cum in Africam, *Procemiũ, quo ſomnij occaſionem, & ſimilitudinem veri tùm ab hiſtoriæ circumſtantijs tùm ſomni cauſsis aperit.* M. Manilio. *Non Manlio, vide ad Atticum duodecimum, & quartum Apiani in Lybicis: Cice. de L. Piſone in Bruto, & Lælium. Qui notant hic 602. ab V. C. falluntur, duo enim addendi ſunt.* Trib. militum. *Id App. in Lybico teſtatur. Poſterius tribunum, pæne militem vocat: nam qua dignitate fuerit præter alia loca, vel ex illis in Pompeiana verbis colligitur, cùm ait: quæ ciuitas eſt in Aſia quæ non modò vnius Imperatoris, aut legati, ſed vnius Tribuni militum animos ac ſpiritus capere poßit? & ad ſummum ſex creari poterant, vt ex anna-*

annalibus colligitur. Fuit autem maior quoque Africanus admodum iuuenis trib. mil. cùm post cladem Canensem multi cum Q. Metello de deseren da Italia cogitarent, quippe qui stricto gladio iurare omnes patriam non deserturos coëgit, vt est apud Valer. quoque. Masinissam, ita huic Scipio maior promissa cesarie fiebat obuius. Liuius IX. Punico. Ad quem, Senũ recordatio, & commemoratio iucunda prolixè, & cum lacrymis fit, vide Rhet. ad Theodecte. Notãdũ etiã hîc antiquos somno et morti eandem matrẽ noctẽ tribuisse, vt est apud Paus. in Eliacis. Cum senex, Hypotiposis veræ amicitiæ, & ἀπομνημονευματικῆς. Non solùm enim nobis charorũ, sed quorũuis magnorum virorũ dicta, & facta meritò sermone nostro vsurpantur, ideo Xenophon de Socrate ait: δοκεῖ γάρ μοι τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀξιομνημόνευτα εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν παιδίαις. Macrobij textus addit Africano auo meo. Viri, Quoniam secundo bello Punico fidum com militonem eum expertus multis fuerat rebus, & exemplis. Hic mihi Duæ caussæ insomniorum communes: quæ enim diuina, & διόπεμπτα temeraria nocte non ludunt, certa et recondita sunt. Vides ne, Auctoritate & prædictionibus vatum commoueri solemus: verùm ista non sunt πραγο-

γορευτικὰ sed μεταφορικά. Ceterùm de generibus μαντειῶν præter Ciceronem, & Macrobium: vide VII. Sycagmate Gyraldum de Dijs gentium. Cognomen, Prænomen proprium est, Nomen familiæ, Cognomen euentus, Agnomen veteres puri non agnouerunt: & obiter obseruandum nouos homines gentilitijs caruisse, atque etiam claros viros nominibus, vel cognominibus tantum citari ab historicis: vbi verò de re certa sermo repetitur, etiam solo prænomine omnia intelligi volunt. Et facilè est cognoscere cognomina, quæ nunquam in ius finiunt: cognomina hereditaria ob noua deserebantur, nisi legas coniuncta: quædam prænomina in cognomina & nomina abibant: fratres eodem prænomine vix legas. Hæc admonitus παρέργως addo, ne ratio nominum in leuibus cuiquam imponat. Censorque, Gell. III. cap. XVIII. nam Consulares creabantur. Dignitas autem Censorum initio minima erat: sed ob libertatem iudicandi eum in honorem adducta est, vt Por. Cato vel post Consulatus eam non sit adeptus: & Imperatores, vt Trib. potestatem, sibi deinceps perpetuo assumserint, annuam & semestrem primò, sed quam App. Claud. per vim sibi quinquinnalem effecerat. Obieris. Hæc loca satis inter se in orbem disiuncta inspexit, seu cum septem tantùm seruis, vt pla

cet *Val. Legatus obijt, vel, ſi vis per Iuſtinum* XXXVIII. *ad Ptolomeum Phyſconem, & obire paßim etiam ſine adiectione prouinciæ, legationem ſignificat. De necis huius occaſione quod Valer. in ſexto recitat probabilius eſt. Hîc legibus, non vt prius, ætate ſoluto delatum conſulatũ Florus vult, ſed malè: minùs rectè, cùm à Proconſule & Numantiam euerſam, id eſt* XIIII. *poſt Carthaginem anno contendit. Vide Lælium de Scip. conſulatibus, Valer.* VIII. *cap.* XVI. Capitoliũ *de triũphi more, Liuius* XXXIIII. *de Macedonia, Cicero in Piſonem, Monachus in* II. *annalium, & alibi.* Lumen. *Animo alicui ſtudemus, & bene volumus, ingenio excogitamus & perficimus, induſtria elaboramus, Conſilio dijudicamus, ac perſequimur.* Plenus.) *Hoc eſt latè patens. Septem propter modum, & cum rebus numerorum cõſenſum: octo, quia quos metitur, in æqua & paria deſinunt, ipſeque pariter diuiditur: ſed ſi perfectos intelligas, ab Euclidis doctrina diſcrepabunt. Fuerunt tamen ternarius quoque, & quaternarius* πολύσημα, *& Myſtica antiquis. Notent quoque rudiores in tertio de bello ciuili apud Cæſ. numerandi ſimile exemplum, cùm inquit: Vt ſexies ſenis diebus ſine vſura creditæ pecuniæ ſoluantur, & ſecũdo de nat. Deorum: bis binæ & cet.* Dictator, *Qui omnes reliquos magi-*

magiſtratus præter trib. pot. ſoluebat à quo Mag. equitum dicebatur. Minimus claui figendi cauſſa, hic verò Reip. conſtituendæ creabatur. Socii & Latini, *Hos eoſdem fuiſſe teſtatur quoque Liuius* IX. *Punico: Sociorum Latini nominis equites, pediteſque, & in Bruto Cicero hoc eodem modo coniungit.* Sed quo. *Ab vtili, & fine virtutum, quòd in bonis rebus fini nullus modus quæritur, vt eſt in Polit.* Omnibus *Conſequens, vtimurque neceſſarijs, fruimur iocundis.* Nihil eſt. *Antecedens, vel proſylogiſmus.* Harum, *Magiſtratus eſſe à Deo, & præmijs dignos oſtendit, eſtque iteratum conſequens.* Hic ego, *Non mors fortes, ſed cauſſa iniqua turbare ſolet, vt Socratem, Theramenem: ſapiens enim præter culpã, nihil præſtat, nec alienum eſt illud Poëtæ: Frangit & attollit vires in milite cauſſa, & cet.* Imò vero, *Occaſio definitionis nec opinatæ vitæ, & ad eam reditus, hæcque omnia piè accipi poſſunt.* Sanctiſsime, *Cùm ob pietatem, tum locum ob iniurijs, ac temeritate liberũ.* Niſi enim, *Similis eſt Euripidis ſententia: poſterius autem illo Epicteti quoque declaratur, qui hominem* θεατὴν τοῦ θεοῦ τῶν τε ἔργων αὐτοῦ, καὶ ἅμα ἐξηγητὴν *in mundo locatum ait. Tria enim ſunt, quare nobis lucis vſuram produci optemus, vt Deum auctorem qui ſit condiſcamus, vt eius fabricam vniuerſæque*

molitionis historiam admirari queamus postremò, vt alios eadem doceamus, & vulgò prosimus. Retinendus *Pro L. Manil. quo minus certa est hominum, ac diuturna vitã, hoc magis Respub. dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vita, atque virtute. Et similis in Off. disputatio est.* Homines enim, *Antecedens.* Quare, *Consequens. Nec alienus fuit Origenes de ortu animarum, & longa est disputatio intestinè, an externè adsit, sed facilis esset quæstio si* νοῦν *&* ψυχὴν *ex Aristotele distingueremus, ac primo metaphysic.* τὸ ἴσως, *non dubitationem, sed æqualitatem intelligeremus vti est.* In patriam, *Parentes enim ab initio vitam præbent, cælum patria suaue suppeditat, quò eam tueamur honoribus, & gratiã ornat, & Aristot. cùm ipsum bonum* τῆς πόλεως τοῦ ἑνὸς *præfert, idem intelligit, hocque Demosthenes vrget.* Ea vita, *Repetitio propositionis explicata, & vide pro Sest. de optimatibus qui dicantur.* Candore, *Hoc est quadam albedine, seu lacteo aspersa colore, minutissimæ enim, & frequentissimæ stellæ, ob deficientem ignem, eum leuem candorem efficiunt: splendidissimum autem amplius & notabilẽ spatium, quod occupant, significat.* Ex quo, *Sumit occasionem describendi cæli, terræque, quæ omnia sunt testatã, præter quàm quod Vernerus ad vndeci-*

mum vsque cælum peruenerit (post octauum Arist. secundo de cælo, nonum post Ptolomeum & Alfrag. decimum Alphonsi, & Purbachij) galaxian pro separato orbe non recipiant, de quo Plutarch. tertio de placitis: primo meteororum, & Hyginus, secundo Astrono. & frequentius terram habitari Cosmographi ostendant. Parua, *Maior tamen primis tribus planetis.* Quæso inquit, *Argumentum effectus probabile, cum decoro, assuefactis enim vel deterioribus magis capimur.* Summus ipse, *Aristot. cum Copernico imobilem docent, Plato & Ptolomeus mobilẽ. Omninò in hac cogitatione negari nequit Solem cum terra in centro exprimendo societatem cum octauo cælo habere.* Sempiterni, *eodem interuallo, & motu constanti, ad differentiam reliquorum septem, qui quidem interminati, aut incerti minimè sunt, variè tamen locã mutant. Porrò variæ sunt opiniones, quare stellæ videantur dimicare, radijsque aciem sensusque nostros diuerberare: sed quid si propter octaui cæli proprium motum, qui transuersè trepidandoquẽ fit? qui motus stellarum quoque est, nec videtur cognitus fuisse Ptolomeo, qui tantùm eas secundum signiferi longitudinem conduci putauit.* Sol obtinet, *Ab eius enim motu intermedio, certoquẽ & facili, reliqui Planetæ ad calculũ vocãtur, ideoque*

ϲius Theoria primo loco traditur, & Poetæ principium ſumunt ab eo: de cuius virtute aliorumque natura copioſius Aſtrologi, ſed ſpatia ſingulorum his verſiculis aliquando complectebar:

Annis triginta Saturnus conficit orbem,
Iuppiter aſſequitur biſſenis, Marſque duobus.
Sol vno, tercentis quadraginta diebus
Mercurius, Cytherea nouem cupit addier iſtis,
At vaga ſigniferum Luna omni menſe pererrat.

Infra, Ptolomeus in principio quadripartiti cum Theone. vide XII. Metaph. Vniuerſi diſtributionem in tres ſphæras. Ceterum Lunæ menſtruus decurſus ad Saturni regreſſum renixumque annuum ſeſquitertius creditur. Dulcis ſonus, Subtilis, & iocunda eſt Auerrhois præſertim, & Auicennæ de his diſputatio: ſed in nugas exit, & contra principia Philoſophi, de perpetuitate vniuerſitatis, ſi motum violentum primi cæli admittamus, & naturæ intelligētiarum ſi aliæ alias mouerint, melioreſque ſint, non eodem ſpatio temporū deſcribentur. Mercurius Trimegiſtus in Pinandro ſeptē gubernatores qui hos ſeptem circulos mundi complectantur, appellat. Quam ob cauſſam, Expoſitio accommodata, ſeu προσληπτικὴ. Modus eſt, Non nodus, etiāſi Gala σύνδεσμον legerit, aut verterit. Significat enim conſenſionem interiorem ſeu mēſuram ſocieta-

cietatemque huius numeri cum multis in vita rebus ac velut quandam moderationem: ita enim modum aliquando etiam Cicero accipit. Quod docti Hæc eadem compreſſius, ſed non minus ſignificanter repetit in Quint. Tuſc. vbi de triplici animi fœtu loquitur. Figmentum autem ad principia rerum poteſt applicari: concordia enim etiam diuerſiſſima & ſeparata modò ſtant, vigentque. Atque hic rationem τοῦ διαπασῶν intelligit, quæ, dupla conſtat, vt quadrupla τὸ δισδιαπασῶν, ſeſquialtera διαπέντε, ſeſquitertia τὸ διατεσσάρων. Aſpectus quoque in zodiaco ſignorum cum muſica iſta ratione congruūt, 6. diapa. oppoſ. 4. diap. maius trinum 3. diateſſa. quadratum, 2. diap. minus ſextilem. Ac quia 12: ad ſex eſt dupla, vt ſex ad tria, ideo oppoſ. & quadratum maligni ſunt. Has ſi miſceas omnes harmonias inuenies, vt muſici quodam ſchemate repræſentare ſolent. Theocritus autem in Syringe ſua ἐννεάφωνον ponit, nō vt Pind. ἑπτάκλυπον φορμίγγα Pyth. 2. Sed ille doricum modum ſignificat, qui vltra διαπασῶν vnū aſſumebat, ſed συμφωνία illa cæleſtium hanc humanam intentione ſuperare poſſe fertur in poſtremis quadruplo. Finis autem, ſi diuinè interpreteris, harmoniæ eſt ipſa animæ conſtitutio, quæ ideo ἑπταμελὴς, καὶ ἑβδομαδικὴ dicitur, vt Deum ſuſpiciat, atque colat, de quo numero doctiſſimè Philo

lo Platonicus in libro de creatione mundi, Censori nus in zodiaco κατὰ διάμετρον *hos natos ait, qui no no mense* κατὰ τρίγωνον, *qui decimo mense* κατὰ τετράγωνον. *Philo de antiq. Romanis vult ob Isacū, qui septimo mense fuerit natus, septimestres viuere. Medici quoque ex hoc numero iudicant: Diuus Ioannes suas visiones eodē decernit. Christus etiam toties, & eodem in se ducto iubet ignoscendum, sed orationis quoque forma à Christo accepta 77 literis apud Hebræos cōtinetur. Ceterum octauo fœtus mense editus minus superesse potest, ob Saturnum, qui secundam periodum auspicatur, Plinius in septimo & eodem Arist. cap.* III. *de historia animalium, quòd octauo fœtus edantur docet, sed pau cos superesse*, Hoc sonitu, *Præoccupatio à ratione quidem, & sensu humano remota, sed credibilis per Censorinum de die nata. Plinium in* V. & VI. Quæ si, *Reditus ad* παροξυσμὸν διὰ βιαίου. *Ante quàm enim Scipio idem confiteatur, ille confecit.* Tu enim, *Propositio contentionis, & eius distributio:* Duo sunt, *Quinque interuallis in modum cæli, tellus distribuitur: à polaribus enim circulis ad vertices, itemque à reciprocis & inflexis ad mediū, domicilijs spatia infesta sunt: sed quidquid à tropicis ad polares pertinet, habitandi commoditatem præbent.* Amputatis, *Illatio consequentis, &* τῶν

συνεπομένου. Eluuiones, *Ab inutili, quodq. fieri nequit: nobis Iris testatur non redituras diluuiones, de vniuersa autem flamma sacræ literæ nos monent, sunt tamen qui illius magni anni hyemem* κατακλυσμὸν, *æstatem verò* ἐκπύρωσιν *fore putāt, quo respicere hîc videtur: vel quod Physici volunt, ab nimio calore humorem absumi, & contra posse: quo etiam Iouis apud Æthiopas conniuium spectat.* Ipsi autē, *Alia antipophora de futuro sermone, præsentique memoria, epidiorthosi constans.* Quid autem, *Concessio correcta.* Audeo, *Miror eum nihil statuisse, cùm diuinè iam loqueretur, nihilque absconditum à scientia eo in loco sit.* Namque, *Repetitio explicationis facta exemplo, ac liberum est à quocunque tempore eius anni facere initium, non tantum à Romulo: modò ea integra tot sæculorum per astra conuersio expleta in ortus sit terminis, partem* μοῖραν *theon in Aratum vocat. Iosephus, disertè ait hunc annum* πληροῦσθαι δι' ἑξακοσίων ἐνιαυτῶν. Vicesimam, *Hæc acta sunt anno 604 ab V. C. Itaque 2448. partes eius anni præterierant.* Quocirca, *Cogit ex collatione vtilitatum, cui accommodat exhortationis caput, cum* ἀνακεφαλαιώσει *superiorum.* Igitur, πρόσλημμα ἐπικριτικόν, *tanquam ritè cōsequens.* Suis te, *Huc pertinet ex Off. disputatio, ac secundo Parad.* Quæ cum, *Studium*

pristinis æternum se præpositurum pollicetur, tanquam conuictus: ac sanè Scipioni non parum ista terrenorum contemtio ad insidias, & fatorum omen profuit: dociles enim ad hanc disciplinam bonæ mentes se offerunt, ac diuinitus erecti, ad sempiterna enituntur. Nec enim, *Α στερήσει ad ἀνταπόδοσιν. Nam ex definitione hominis, atque naturæ conditione, vt vnde profecti sumus, seu potius deiecti, virtutum, pietatisque studio eodem reuertamur.* Et vt mundum, *Facit ad diminutionem admirationis rerum humanarum, à maiore ad minus, atque ratione intelligentiarum atque animorum ad mundum, atque corpus motum. Si enim mundus mortalis est, ex ea parte, quatenus ab intelligentijs separari potest: cur non corpus animo euocato?* Siquidem, *Enumeratio sufficiens similitudinis, seu ἀναλογίας.* Nam quod, *Vide* VIII. *de natura, de anima Phædrum Plat. finem de sene Cute, de cælo, & cet. estque propositio syllogismi.* Quin, *Ex abundanti argumentum necessarium per inductionem colligatione consequentium, & sese oppugnantium, estque ἐπαγωγὴ ἀντίθετος.* Ita fit, *Conclusio, quam denuo similiter per adiectionem absurdorum, & impossibilium corroborat.* Cum pateat, *Conclusio cùm effectus concessione, quam tamen vt dubeam Enthymemate à contrarijs communit,*

munit, Quæ si, ἀναγκαῖον. Hanc tu, Ἀπὸ τοῦ δικαίου καὶ ὠφελίμου, *estque scopus, ac finis huius* παραμυθίας. *Vide decimo Decad.* III. *apud Liuium verba Scipionis ad Masinissam & obiurgationem.* Nanque eorum, πρόσθεσις τοῦ ἐναντίου *euidentiæ caussa: hæcque ipsa passim apud Plat. atque sub fine Paradox. repetuntur. Atque hæc pauca huic Somnio satis leuia per somnum adijcere libuit: grauiores enim disputationes partim ab eruditis sunt explicatæ, in alijs partim nostris commentarijs aliquando legentur.*

FINIS.

INDEX MEMORABILIVM DE

Imitatione sequitur, sed quisque in suo libello ab vtraque facie paginas de more insigniat, quod typis neglectum est, initio ab epistola sumpto.

Aἰλογία 63
Alciatus 60
Annonis auiculæ 41
Antonius 113
Aptum 55
Aqua refrigerata 81
Argumenta imitan. 53
Aristides 170
Ars quid 35.14.82. 126.
Artificium ineptũ 145
Aures aptæ 33

B

Balthasar Castilio 78
Bembi scripta 51.48

C

Caligula 82
C.Blosius 47
Causæ 143
Cautiones 29
Ciceronianum 61.86
Ciceronis scripta 63
quantus 65
imitatio 73.83
præceptiones 105
ποικίλος 105
an solus 49.52
Consilium 160
Consuetudo sermonis 61
C.Licinius 34
Crassi iudicium 56

D

Democriti gustus 93
Demosthenes & Cicero 73
triticeus 80
iusiurandum 172
Dialogorum summa 7.110
Docendi error 8
Doctrina vniuersa 58
Dicendi genera 147
Dictio ætatum 39

E

Eloquentia 4.92
methodi eius 93. 63
occasio 17
Eloqui 26.33
Emendandi ratio 114
Exempla pauca 90
Exercitationis materia 165

F

Facultas parata 125
Ficto res 124
Figuræ 155
Formularium 158
Franciscus alumnus 161
Furta 139

G

Geographorũ mos 87
Gorgias 113
Grecorum obseruatio 169
Græci cur legendi 72
Græculi 30
Grammatica 24

H

Hannibal & Scipio 72
D.Hieronymus 57
Historiæ ratio 100

I

Idea quid 82
ἤθη oratorum 156
Imitatio an sit 86
quid sit 41
summa eius 110
qualis & quomodo 13
vtilis 23
obscura 148
Iudicium de ea 59
vera 25
species eius 106. 154
inanis 108
materia 148
apti ad eam 36
quæ via 42
allegoria eius 138
dubitabilis 88
consilium in ea 66
confusa 64
qui imitandi 53

K

Κοινισμὸς 107
Κακοζόμαχοι 48
Κρίψεις artis 154

L

Latinitatis angustia 19
Latinitatis difficultas 27
Lacedæmoniorum factum 53
Liber pater 58
Linacer 135
Lingua vernacula 13
Liuius 69. 82
Loci verborum 112. 159
Λόγοι πολιτικοὶ 159
Longolius 51
L. Viues 132
Loqui ornatè 107

M

Magister intelligēdi 52
Manutius 147
Menander 74
Mentis vis 57
Methodus formularū 121
Μέτρον καὶ ἀσφάλεια 102
Mimeso mastiges 157
Μισθωτὸς 86
Morbi ignoti 71
Motus Poëtarū 100

N

Natura corrupta 10
diuersa 92
sine disciplina 81
imitabilis 95
Nizolius cōfusus 101
Numeri 28. 85. 106

O

Obseruationis modi 115
Obseruationis exempla 127. 118
Oratio sapiens 125
Oratio vulgi 103
Orpheus 113

P

Particularum vsus 32. 122
Pæan 105
Pictor & imitator 62
Phidias 51
Plotius Gallus 80
Plato 44
Poësis & historia 15
Poetæ 33
Poëtarū affectus 170
Propositiones necessariæ 154

R

Rhapsodi 110

Rhetoricæ partes 44
Rhetorica cui ἀντίστροφος 96
Res & verba 55. 107
Rhythmorum ortus 100

S

Sadoletus 51. 71
Sapientia muta 107
Sæpiæ astus 79
Scaurus 34
Scientia rerum 167
Sermonis vsus 61
Similitudo multiplex 54
Speronus 78
Stylus 6. 147
Sulpitius Cotta 70
Stoicorum caussæ 147
Structura 101
Sturmij ἀνάλυσις 98
συζήτησις 158
συνθήκη 123

T

Τάξις 7
Terentij vsus 31
Theatrum Camilli 97
Tectum quid 147
Theses 173
Theologicæ formæ 152
Tigranes 17
Trapezuntius 172
Translatorū vsus 120
Trismegisti statuę 103
Turpio Ambiuius 44

V

Valla 122
Verborum origo 44
Verborum tractatio 113
Vergiliana quæ 67. 110
Vidas 149
Virtutum gradus 36
Voces artium 137

Y

ὕλη Plotini 84
ὑποδιαστολῆς varietas quanta 104

FINIS INDICIS.

ERRATA TYPOGRAPHI,

præter διαςολῆς mendas, ita corrigito.

B) *Nomine, nonne, quin, quì, inuestigandam, disceptata.* B ij) *nolo istâ*
B iij) *opiniones, opinationes.* B iiij) *indexque.* B v) *operam.* B vj)
vt quæ scribamus, munitum, aptumque, eidem Socrati. B vij) *amit-*
tant. B viij) ἐιρυμένοις, *Vngarum Germanus.* C) *indicia conferrent.*
C iij) πρὸς διάθεσιν, *reperiant.* C v) *si sapis. infesta bonis.* C vj)
διὰ ἀπεργασίας, *iuuit innuit, obtinebit.* C vij) *cauea spectabant.*
ibidem ante exempla pone punctum. in Cicero. de quo. C viij) γαρύε-
τορ. D) *cauto, canto, vno contentus, præstituros fuisse.* D ij) *vt me*
cum. D iij) *vt omnium.* D. iiij) παιδιῶν, *præbuisset.* D vj) *ornatum*
sed. ratio meliora. per se sequuntur. D vij) *vtque in concursu.* E) *re-*
ctè illi, in contextum. E ij) *ministris minus tritis, crudelitate, crudita*
te. E iij) *æquè peruaserit, agere potest, vsque recurrat,* E iiij) *ne indi-*
cia, vsque eò, ex quo sequitur. E v) *ista dilues, se offerant.* E vj) *ac ty-*
rannorum. E vij) *vt telam Penelopes.* E viij) βαθὺν, *discindere ami*
citiam. ζῶσι. F) *carnis inuitatus, magnis suscipiendas.* F ij) *vitiosas*
referas, limo Liuio. F iij) *Ego verò, extiterint.* F iiij) *illius imita-*
tioni, pronunties, ἀνοικονόμητων. F vij) *propriũ exigi,* ἐπισταμένων
F viij) *commeet, deprauatè iudicaretur, iuuare posse?* G) *omnem*
vitam. G ij) *sit comportatio, nundinationem.* G iiij) *viro nolint,*
ornatque, cohibendas, Ciceronis esse, confusa. G v) *interpungedi quoq́.*
tuetur, custoditur. G vj) *laborandum.* G vij) *cauere multa, quia si,*
discriminant, minutamque operam, compositæ. G viij) *prorsusque*
ignaros, ἐλέγχεται, *portorio.* H) *inquirendam, fugiendis fingendisq́.*
nouis. H iij) *Hunc in illo, Parado.* H iiij, *reliqua quæ, à Demosthe*
ne cum copulato. H v) *tantam esse, tradita, traducta, Hos ego modos.*
H vj) *& caussa sit.* H vij) *in hoc labor. Quòd si* συνθήκης, *docen-*
tur? & quid hi extra. I, *& ista.* I ij, *affecteque, tantum in.* I vij,
tectus noctu, μυρσινοειδέσιν. I viij, *neque iudicent.* K, *naturæ sepa-*
rarit. K ij, *artis voces, asuefiant, quis vituperet.* K iij, ὁμοούσιον.
K iiij) *Syphilis.* K v, *vti possumus vtamur?* K vij, *adest ornatus*
plus. L, πανηγυρικότερα, *ijdem locutiones, vt aptè.* L ij, *è comporta-*
ta. L iiij, *quodque de Mitridate.* L vij, καὶ ἀσυνδέτως, *agere,* καὶ
προσωποφαίνεσθαι *versarique.* N, *non visi Dei.* N ij, *commemo-*
ratio-

ratione, distinebar. N iij, *futurum, cumque dignitate.* N iiij, *quam-*
quam, punitorem non punitionem, iunctorum. N v, *afferenda.* N vij,
ac deiunctam, mirabare. O ij, *accusabere, aucupabere, ad summam.*
O v, *pænæ modo, exercitatus, excitatus.* O vij, *atque dialogis.*
O viij, *syntagmate.*

FINIS.

Si nihil infesti durus vidisset Ulysses
Penelope felix, sed sine laude foret.

Multas valet amicus [illegible] bonus.

domum tuam. Et surrexit et
abiit in domum suam. Viden-
tes autem turbe timuerunt
et glorificaverunt deum
qui dedit potestatem talem
hominibus. Off. Sanctifi-
cavit moyses altare domino of-
ferens super illud holocausta
et immolans victimas fe-
cit sacrificium vespertinum in odo-